

05
A
1450





FEODOR ANTONIUS

HABITUM INTELL

OTIUM CONTEMPN

SACRO-SANCTE TRINIVITRIS
S U B S I D I O

FRANCIS JOHANNIS SCHART



FRANCIS JOHANNIS SCHART

FRANCIS JOHANNIS SCHART

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.

CHRISTIANUS ROSA, M.D.



Σὺν Θεῷ τῷ ἐνὶ καὶ τρισυπεστάτῳ

ΠΡΟΑΤΛΙΟΝ.



HOMO rectissime Philosophis μικρόκοσμος salutatur, in respectu ad μακρόκοσμον, cum quo propter summam intervenientem ἀναλογίαν conformari est aptissimus. Quemadmodum enim μακρόκοσμος h. e. *Mundus* propriè dictus (ipsum ὅλον ἢ τὸ πᾶν) ex *Cælo & Terra* est conflatus; *Cælum* vicissim duobus luminariis splendidissimis, *Sole* videl. & *Lunâ*, radios suos clarissimâ luce fulgentes terrenis impertientibus, condecoratum &c. Ita & *Homo* μικρόκοσμος suo *Cælo & Terra*, h. e. *Anima & Corpore*, constat; cuius *Cæli Sol* est *Intellectus*, *Luna* verò *Voluntas*. *Solis* radius est *Habitus θεωρητικός*; *Luna* splendor *Habitus πρακτικός*: quorum claritate *Anima hominis*, quâ totum corpus regitur, perfusa omni inscitiae rubigine exuitur, eaque sic afficitur, ut sibi præluceat ad nanciscendum primi Opificis similitudinem; *Qui ut omnia plenè ac perfectè est, & præter supraq; omnia: Ita eos, qui Scientiarum Studiosi sunt, suos etiam voluit, ipsorumq; Intellectum rerum Dominum constituit, dicente Scaligero. Etenim illo Theoretici Habitus radio coruscans Intellectus omnium scientiarum promicantia fulgura, solari lumine splendidiora, solet ejaculari; hoc verò Practici Habitus splendore Voluntas collustrata in immenso rerum omnium pelago, in quo sæ-*

A 2

pius



pius secura litora Capharæa rupes mentiuntur, cur-
 sum suum sine lapsus & naufragii periculo ad por-
 tum dirigit. *Theoretici Habitus* luce clariori irradia-
 tus *Intellectus* ubique contemplatur, ubique Verita-
 tem in internis rerum θαλάμοις absconditam ac deli-
 tescentem investigat, invenit, intuetur; *Voluntas*
Præctico Habitu velut refulgente pharo ducta, quod
 in omni vitæ genere bonum ac virtuosum videtur,
 prosequitur, assequitur: Scyllas verò & Symplega-
 des h. e. vitiorum omnium scopulos sine offensione
 prætergreditur, salvaque ad exoptatam felicitatis
 ripam perducitur. Felicem igitur cælitusque con-
 cessum Animæ facultatum Ducem *Habitu utrumque!*
 verè Phœbi radium, *Intellectum* penè Bœoticum,
 planè obcœcatum adeoque luce prælucente peni-
 tūs carentem (qui ita non ineptè à Philosopho τῷ
 γεγραμμένῳ, ὃ μὴδὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον,
 comparatur) luce penetrante collustrantem habi-
 lemque reddentem *Habitu Theoreticum!* verè Cyn-
 thiæ splendorem lucidissimum, *Voluntatem*, vitio-
 rum maculis inquinatam, atque Ixioni similem,
 umbram solam loco pulcherrimæ ac formosissimæ
 Junonis amplexantem, illuminantem *Habitu Præ-
 cticum!* Felicem verò & *Hominem*, ejusmodi Ani-
 mæ facultatibus, tam præclaris Habituum radiis ru-
 tilantibus, præditum atque honestatum! quibus
 meridiana luce ferè commodioribus, nescio, num-
 quid excellentius vitæque ipsa dignius ab ipso Nu-
 mine deprecari haberet? Istis sanè, veluti ὑγεινοῖς τοῖς
 Φαρμάκοις, duplici quasi morbo, ἀπὸ τῶν πρῶτοπλά-
 στων πλημμελείᾳ, nemini non adhærenti, ἀγνοία vi-
 delicet *in Intellectu*, qua rerum scitu dignissima-
rum

rum cognitionem amiserat, & τῆ κακίᾳ in Voluntate, 3
quâ ipsi Divinæ ordinationi κτ̄ Φύσιν resistit, mede-
ri valet; Illi quidem θεωρητικοῖς amissam cognitionem
restituendo: Huic autem πρακτικοῖς quævis vitiorum
genera exuendo. Horum itaque Habituum tanta
cum sit Præstantia, utilitas tanta, eorumque confi-
deratio adeò fructuosa, digni utique, nostra studia
& conamina illis ut consecremus. Faxit autem ipse
Deus noster, sine cuius Numine nullius conatus vel
felix unquam vel utilis, cælitusq; Lucis suæ radium
emittet, ne ejusmodi prolixam materiam inqui-
rendam suscepturi facilè aberremus. Sic fiet prospere!
Aggrediamur ergò opus feliciter, ordine con-
venienti istud disponemus, suppositis certis Sectio-
nibus iisque interjectis Membris distinctis, succin-
ctis Θεωρήμασι, quicquid erit, comprehensum ad diri-
bitionis limam & diatribarum incudem revocaturi.
Sit ita prætermissis anfractuum Mæandris

SECTIO PRIMA

Naturam & Constitutionem vocis HA-
BITUS continens.

T H E O R E M A

- Habitus est qualitas, crebris exercitiis acquisita,
diu permanens, quo promptum fit subjectum
ejus ad faciliè exercendas actiones.*

Quum non parum interesse videatur, in ordine paululum
industriam apparere adeoque genuinam cujuslibet rei sedem
inquirere, nec hîc in vestibulo Dissertationis nostræ intactam
prætereamus illam de Habituum Intellectualium Ἀγορεύει Cōtro-
versiam

4 *versiam jamdiu jactatam: ad quamnam nempe Disciplinam ista proprie referenda veniat? Ubi sanè Autores hâc de re præcipientes vel maximè inter se discrepant, quorum plurimi Metaphysicam eligunt, alii Physicam, alii Logicam, alii denique Philosophiam Prædicam, singuliq; suas habent rationes, quibus suffulti propriam se constituisse Disciplinam putant firmitèr. Nos verò illis, quas cunq; adferant, omni ex parte subscribere nullo modo valeamus, ex eo fundamento, quippè quod partim eæ non sufficiant, partim nec ulla earum allata Disciplina ipsum Genus, puta Habitum, quatenus scil. Habitus est, inter cujus Species Intellectuales numerantur, consideret: sed prout saltem accidens in mente est, contempletur; quatenus verò propriis suis constat non Speciebus duntaxat, sed & Principiis atq; Affectionibus, non attingat. Ergò ut, quod res est, imperterriti dicamus, statuimus utiq; , aliam à dictis Disciplinis distinctam requirere Intellectualium Habituum Contemplationem, quæ generatim de Habitu, ejusq; Speciebus singulis dictitet, rectèq; indigitanda.*
HEXIOLOGIA. Hæc ad Quæstionem illam quasi Proœmialem. Jam ut dictorum Habituum, de quibus impræsentiarum unicè, Naturam investigemus, præcognitis quibusdam, quæ ad illius cognitionem faciunt, instructi simus, oportet, præsertim cum πᾶσα μάθησις διανοητικὴ ἐκ πρῶτον παρεχόμενης γίνεται γνώσεως, quemadmodum Philosophorum Antesignanus dixit; & verò περὶ πρῶτον παρεχόμενῃ γνώσει inter alia etiam Nominis Cognitio, Zabarellâ interprete, intelligatur: Nomina rursus, quæ rerum involucria formas ipsarum exprimentia, ἐν παρόδῳ πρῶτον δὴ ἐξετάζεσθαι, secundum eundem Philosophum, quippè quorum Ignorantia confusionem parere solet maximam, eorum contra notitia lucem addit sequentibus clarissimam; quod & Stoicæ sectæ Philosophus Epictetus voluit, quando in rerum cognitionem perveniendi modum ostendens dixit: ἀρχὴ παιδείσεως, ἢ τῶν ὀνομάτων σκέψις. Prius igitur in genere de Habitu agendum erit, & inquirendum, unde ille sit & in quibus consistat; hoc ut faciamus, præmisimus rectè ejusdem Definitionem, ex qua cætera, hâc in re cognitu necessaria, innotescēt melius; subsequetur post.

5

postea & ipsa Divisio. Antequam autem ad ἐξήγησιν datae Definitionis descendamus, duo vicissim necessariò prælibanda videntur, quorum Unum τὴν ὑπερξίν, alterum verò ὁμωνυμίαν Definiti exhibeat, istam stabiliendo, hanc, ut erroris affinem, discutiendo. Quod ergò *Existentiæ Habitús* attinet, eam indubitatae veritatis esse, nemini est obscurum, quippè quæ vel ex ipsâ *Experientia*, ut βροτῶν ἐλέγχω, ac communi solitoq; loquendi modo patescit, quo omnes Habitum se comparasse prætendunt, quando aliquid promptè & facilè exequuntur, in quo priùs aliquam experiebantur difficultatem. Quod verò ad ejus *ambiguitatem* spectat, certum est, *Habitum* ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων esse: accipitur enim 1. Καταχρηστικῶς, & quidem vel (1) *pro modo habendi*, sive quantitatem sive qualitatem, sive libros, sive vestem &c. quales modi octo ab Aristotele recensentur, de quibus in *Postprædicamentis* fufius, (2) *pro circumpositione vestis*, sive pro modo, qui resilit ex adjacentia vestis ad rem vestitam, quo pacto ultimam *Accidentis* speciem constituit. 2. *Ευρέως*, quatenus quidem ad animam pertinet, non tamen eo modo, quo nostro Instituto inserviat: Sed est vel *Concreatus*, Græcis σύγκρις, qui in prima *Creatione* simul cum anima est inspiratus: Talis fuit imago *DEI* in homine seu *Justitia Originalis*, quæ jam (eheu!) amissa; vel *Infusus*, dici solet θεός δοτός, (quamvis non adæquatè: non n. *DEI* tantùm, sed & *Spirituum* tam bonorum quàm malorum, operâ *Habitus* infundi possunt; sic malitia & peccatū à *Diabolo*; & *Angeli boni* multa obstrusa hominibus aperuere) qui per influxū *DEI* obtinetur, qualis erat ἐκ τῆς ἀκτῆς in *Prophetis*, *Apostolis* aliisq; sanctis, per quorum os *DEUS* ipse locutus; *Ἐκτικῶς* v. in singulis *Electis* & piis hominibus, *Sp. S.* virtute illuminatis, videre est, ut *Rom. 5. v. 5.* de quibus *Orthodoxorum scripta* consulantur. Huc pertinet & illa acceptio, quâ omnem *Qualitatem* primæ speciei continet, in qua à Philosopho definitur, quod sit *Dispositio*, secundum quam bene vel male disponitur dispositum, aut secundum se aut secundum aliud. Sumitur autem 3. & γενῶς καὶ κυρωλῆκτως pro *Habitu ἁπικτήτω* sive *acquisito*, qui hujus loci est, & definivimus eum per *Qualitatem*, (eò quod substantiam suam accidentariò qualificet & disponat)

nat) prout in ejus primâ specie, à *Διγ. Θεσ* distincta, ponitur, in-
 defesso labore occupatus & crebris exercitiis, quibus illud, quod
 Natura dedit *δυνάμει ψυχικῇ*, ad actum sive executionem pro-
 ducatur; Undè etiam ad omnem *Habitus* Philoſophi tria præ-
 cipuè requirere solent: nim. *Φύσιν, μάθησιν καὶ γυμνασίαι ἢ ἀ-*
σκησι, quarum ultima vel maximè necessaria. Quemadmo-
 dum enim fructus in radice plantæ latitans non omninò fundi-
 tur, nisi accedat Solis influentia: Ita *Habitus* in potentia natu-
 ræ pullulascens in lucem non editur, nisi accesserit *mentis indu-*
stria; quæ est, quâ quis totis viribus, studio indefesso ac fervore
 fervido annitur, nullumq; non movet lapidem, nulli parcat
 labori, dulcediniq; somni haut indulgens summo diluculo &
 sub aurorâ *τῆ ταῖς Μῦσαις Φιλτάτη* ad operas suas revertitur,
 quò opus aliquod perficiat; Hæc quàm sit necessaria, & quàm
 potentissimè omnes difficultates atque asperitates vincat men-
 tiq; nostræ subjiciat, neminem latet: cum nihil tam abscondi-
 tum obtingat, quod illius curâ erui, nihil tam altum, quod eâ
 adhibita, mens nostra pertendere nequeat. Assiduâ itaq; hâc
 diligentia, naturali potentia superstructâ, *Habitus* postmodum
permanens redditur nullâq; ratione tollitur; quippè de eo, ceu
 de consuetudine vulgò dici solet, quod nempè *altera natura* eva-
 dat, similiter rectè asseritur, quod in *alteram* quasi *naturam* dege-
 neret; nisi forsan maxima fiat mutatio, quod de *Corvino Messala*
 Oratore ferunt, qui ex ægrotatione ita memoriam & sensum
 amisit, ut proprii nominis non meminere & aliis, alio morbi
 genere percussis, de quibus Historiographi. Interdum aliàs &
Dispositio propriè dicta *durabilis* est: sed per accidens duntaxat
 & ratione subjecti sui; sic *Calor* dispositio est, facile enim, si
 naturam ejus in se spectes, accedit & recedit; nec minus tamen
 in hecicis difficultè loco movetur. Verùm *Habitus confirmata*
 quædam *animi constitutio* est & dicitur, ita tenax & in eam par-
 tem propensa, in quam semel assuevit, semperq; in eam se fe-
 rens & spontanea. Et de hoc sic constituto *Habitu* dubium est
 nullum, quin *Subjectum* suum receptibile, cui inhæret, facile
 promptumq; reddat ad operandas actiones; namq; quum *Quali-*
tates

tates omnes duplicem habeant usum, tum ut exornent Substan-
 tiam, tum ut eandem disponant ad agendum: sic *Habitus* etsi
 suo etiam modo Substantiam exornet, id tamen non facit pri-
 mo, sed *per actiones*; per has enim Substantiis inesse dicitur:
 propterea eos *habitu valere* atque indutos esse judicamus, qui
 promptè facileq; sine molestia operantur. Hinc *Habitus* rectè
operandi principium salutatur, quo rectè & perperam operemur:
 sed non *principium primum*, quippè accidens est, Substantiæ suæ
 inhærens ab eâq; dependens quoad esse & operari: *pendens au-*
tem ab alio primum judicari *Principium non meretur*, nisi ἀκρίτως
 καὶ ἀναλογικῶς respectu absolutè-primi operis alicujus; re-
 ctius *Principium secundum* denominatur à Piccolomineo, què
 videsis in Philosoph. Mor. grad. 2. c. 7. Sed hæc sufficient de
 Definitione. Ex quibus sequentia colligere lubet *περίσυστατα*:

1. Verum est, præter necessitatem non multiplicandas esse
 Disciplinas, scil. si non fuerint ab aliis Philosophiæ par-
 tibus distinctæ.
2. *Habitus* in sua Essentia consideratus non est Relatio. *Con-*
tra Franc. Piccolom. Licet conferatur cum objecto suo,
 in se tamen, ut perficit animum, reverà Ens absolutum
 manet.
3. Ubi non subest δύναμις ψυχική, non potest *Habitus* ullus
 superstrui. E. quia e. g. in homine non est δύναμις ψυ-
 χική ad volandum, neque ipse volatus ipsi competet.
4. Nullus *Habitus* potest esse naturalis potentia; quia sub
 hujus ratione primum & radicale operandi *Principium*
 apprehendimus: sub illius verò id saltem, quod naturæ
 est superadditum.
5. Et Oratione & Labore acquirendi nobis sunt *Habitus*,
 nec amplius requirendum, ut divinitus vel à Spiritibus
 nobis infundantur. Contra eos, qui domi sedentes Spi-
 rituum revelationes expectant.
6. Ad *Habitus* productionem actus efficienter concurrunt.
 Sicut enim (Exempla sunt Aristotelis lib. 2. Nicom. c. 2.)
 ædificando ædificatores, Citharizando Citharædi: ita
 B quoque

quoque iusta agendo iusti, temperata agendo temperantes &c. evadunt.

7. Habitus etiam per unicum actum potest generari, non repugnante naturâ Habitus, qui aliàs plures actus requirit. Sic una demonstratione convinci potest Intellectus, ut sufficienter conclusioni alicui adsentiat.
8. Nullus Habitus potest recipi in brutis; quia, accuratè loquendo, nulla est indifferentia nec libertas in actione bruti.
9. Nullus Habitus recipitur in materia seu corpore: ratio hæc est, quia omnis Habitus debet esse operativus; materia verò, quâ talis, non est operativa. Et hinc porrò sequitur, Sanitatem, Pulchritudinem & similia *accid.* non esse Habitus.
10. Habitus debent esse aliquid positivum, E.
Cum vitium formaliter sit negatio virtutis, non potest dici Habitus.

II. *Habitus acquisitus est vel Intellectualis vel Moral.*

In præcedente Theoremate mentio fuit facta *ut* *in* *sub* *jecti*, cui Habitus insit; Tale à Philosophis duplex constituitur, Proximum scil. & Remotum: aliis *Subiectum quod* & *Subj. quo* dictum. Quemadmodum jam, v. g., *Quantitas* dicitur esse *Subiectum proximum* sive ut quo Albedinis, & *Substantia Parietis* Remotum sive quod, quia proximè recipitur Albedo in quantitate parietis, & mediante quantitate in ipsam Parietis Substantiam: Eadem ratione *Habitus Subiectum ut quod* est totus *Hom.* qui, ut ipsa Substantia, accidentia sustinet, adeoq; nullo alio intermedio subiecto facilitatem in operando acquirit; *Subiectum verò ut quo* est *Anima Rationalis*, quia intermediis suis facultatibus Habitus recipit.

Quamvis autem hæc *Rationalis Anima* in sua Essentia simplex & unum quiddam permaneat, adeoq; prorsus indivisibilis, neque secundum subiecti extensionem extendatur, sed tota sit in

sit in toto, & in qualibet parte tota; nihilo secius tamen respec-
 tu operationum, quibus variis pollet, in duas facultates (quan-
 tum ad Institutum attinet) *Intellectum* scil. & *Voluntatem* distin-
 gui posse videtur. Quæ facultates Habitu informari dicuntur.
 Undè duplex *Habitus acquisitus* resultat: *Unus*, qui *δύαμις γνωσ-
 τικῆ* seu facultatem cognoscentem h.e. *Intellectum* perficit, à quo
Intellectualis denominatur, cujus (intellige principalis) quinque;
 ab Aristotele *l.6. Ethic. c. 3.* Species numerantur, de quibus τῶν
καθ' ἐκαστον in subseqq. Sectionibus. *Alter* *δύαμις ὀρετικῆ*
 seu facultatem appetentem, adeoq; ipsam *Voluntatem* ita perfe-
 ctum, & vocatur *Moralis*, quatenus *ἠἔσις* ad mores seu *Morales*
Virtutes habet, quæ sedem in *Voluntate* propriè obtinent: de
 quibus aliàs ex professo *Ethica, Practica Philosophia* dicta, agit.
 De *Voluntate* tamen hoc observandum, eam etiam *Habitu Intelle-
 ctuali Practico* informari, quemadmodum id in *Præambulo* hu-
 jus *Exercitii* statuimus, siquidem hæc sui moderatorem habet
Intellectum, à quo ipsa cæca, uti Philosophi loquuntur, quicquid
 possidet luminis, est mutuata; adeò, ut nihil velit homo, nisi
 quod intelligat, & uti intelligit, ita velit: quippè *Intellectus Vo-
 luntati Objectum suum proponit*, illudq; reddit cognitum; aliàs *Vo-
 luntas* istud non cognosceret, nisi *Intellectus Cognitio* præcederet.
 Undè vulgatum illud: *Notitiæ claritas in Intellectu ardorem*
parit in Voluntate. Hic *Intellectus*, aliàs *Practicus* dictus, vicissim
 appetitui humano bonum exhibet ut faciendum, & malum ut
 fugiendum; quod certè opus quoque est *Practici Habitus Intelle-
 ctualis*, nimirum *Prudentiæ*, quæ *τῶν τὰ ἀνθρώπων ἀγαθὰ καὶ κα-
 καὰ* est occupata h.e. circa ea, quibus homo moraliter bonus vel
 malus haberi solet, & quibus laude vel vituperio, præmio vel
 supplicio dignus judicatur: quod a ipsum præstat *Prudentia*, *Vo-
 luntatis actus* regendo, non quidem in universum, quia hoc
 spectat ad *Moralem Philosophiam*: sed in particulari, in quo non
 tantum à *Philosophia Morali*, sed etiam à cæteris *Habitibus* distin-
 guitur. Ergò cum hæc reverà ita sint, ex iis talia elicimus *πορσί-
 ματα*:

1. In *Voluntate* verè *Habitus* statuuntur, contra *Scotum*,
 vid. inf. *Sc. 3.*

B 2

2. Omnes

2. Omnes Virtutes Morales in Voluntate, tanquam in Sub-
jecto, recipiuntur.
3. Habitus Intellectuales Moralibus sunt priores, non tan-
tum ordine naturæ & doctrinæ, sed etiam aliquo modo
dignitatis, ut vulgo putatur.
4. Nulla Virtus Moralis nobis inest à natura.
5. Solus vir bonus reverà est prudens: E. & is, qui verè pru-
dens est, habet omnem Virtutem Moralem sive Practi-
cum Intellectum.
6. Prudentia est Regula atque norma omnium Moralium
Virtutum in Voluntate residentium. E.
Planè non est virtus Moralis, quæ non conformis præ-
scriptioni Prudentiæ.
7. Quia Prudentia reverà Habitus Intellectual. Practicus est,
Voluntas utiq;, quæ à Prudentia regitur, à Practico Ha-
bitu informari debet.

*III. Habitus Intellectualis consideratur vel γενικῶς
vel ειδικῶς. Generalis ejus Consideratio Natu-
ram & Definitionem exhibet.*

De Facultate animæ ὀρεκτικῆν paucula ista sufficiant. Fa-
cultas γνωστικῆν partim τῆς αἰσθητικῆς sive sensus, partim τῆς νοῦς
seu mentis est. Illa cum ad πρᾶξις non feratur, licet ad verita-
tem & cognitionem habendam conferat plurimum, dicitur re-
rum cognoscendarum κερτήριον externum; Hæc verò earun-
dem κερτήριον internum indigitatur. Illa circa singularia ver-
satur, nec ad Universalium cognitionem penetrat: Hæc verò
Universalium considerat, eorumq; veras causas & formas scruta-
tur. Ultraq; tanta necessitate tamq; naturali connexionem copu-
lantur, ut nullo modo separari possint. Certum namq; est, o-
mnem nostram Intellectualem Cognitionem à Sensu dependere, qui
naturâ & cognoscendi ordine Intellectu prior est, eiq; adminicu-
la & qs. rudimenta cognitionis præbet, Scientiam aliquam re-
rum acquirendi; quippè qui non nisi singularia comprehendit,
uti dictum est: jam v. ex singularibus constituitur Inductio; per In-
ductionem colligitur Universale; ex Universalibus demùm Scientia
com.

comparatur, quæ postea *Intellectui* subicitur, quod pluribus de-
monstrari posset, si chartæ angustia vel instituti ratio id patere-
tur. Quoniam itaque *Intellectus* noster ita cum *sensu* cohæret,
ut per eum, ceu Interpretem & nuncium rerum omnium intel-
ligendi materiam accipiat, nihilque sit in illo, quod non in hoc
aliquo pacto prius fuerit; hinc fit, ut, quæ *Sensibus* nostris magis
propinqua, nota & familiaria sunt, ea quoque ad *Intellectum*
perferantur illique prius innotescant: Contrà quæ *sensibus* poste-
rius cognita aut penitus ignota sunt, ea tardius ac difficilius ad
mentis nostræ *intelligentiam* perveniant. Sed hîc scrupulum nobis
injicere videntur *res quedam*, quæ *Intellectu* percipi natæ sunt,
Sensibus tamen non subjiuntur: v.g. *Materia prima* planè est in-
sensibilis, & tamen *Intellectu* cognosci valet: Sic nec Deus, qui
ἀμετέωρον καὶ ἀπειρόωρον, sensu nostro attingi videtur. Verùm ut
hisce satisfiat, inculcandum est, aliquid *sensu* percipi, vel *αιτιαλ-
κῶς* sive à priori, vel *ἐπαγωγικῶς* & à posteriori. Etiam si in con-
fesso sit, non omnia à priori, ut loquuntur, *sensu* cognosci posse,
quemadmodum videmus, omnia corpora in sensus incurrere,
attendendo substantiam mediante quodam accidente; tamen
à negatione unius ad omnimodam inficiationem progredi vel-
le, non sanæ mentis est: possunt enim quædam à posteriori, per
effecta scilicet, *sensibus* subici; quo modo & *Materia prima* *sensibus*
atingitur, supposito effectu aliquo vel accidente sensili à sensu
cognito, ex quo postea in ipsius materiæ cognitionem deducitur
Intellectus: & hoc modo Ethnici Philosophi ex admirandâ Uni-
versi structurâ Deum cognoverunt. Sic multa imaginamur,
quæ nunquam fuerunt in sensu, quorum tamen partes specia-
tim sumptæ sensu comprehenduntur, ut de monte aureo & simi-
libus constat. Ergò, quò res manifestior evadat, vel ita colligen-
dum: *Omnis cognitio Intellectiva pendet à cognitione sensitiva, sive e-
iusdem rei, sive alterius.* Sed de his *ἠδυσπωτικῶς*.

Hic igitur *Intellectus*, humano corpore inclusus, cum ita *sensuum*
adminiculo semper opus habeat, iisdem quoque mediantibus
τὰ νοητὰ sive intelligibiles species recipiet (ad quas recipiendas à
naturâ *δύναμιν* habet), quæ species, postquam à *Φαντάσματος* sive

speciebus sensibilibus, in Phantasia impressis, abstractæ fuerint, in Intellectu Habitum genuisse dicuntur. Quo Habitu ornatus Intellectus postea ad quasvis rerum scientias se exerit, vocatur aliàs uno conceptu *Habitus Intellectualis*, & definitur à Philosopho (lib. 6. Eth. Nicom. c. 3.) quod sit ἐξίς τῆς ψυχῆς λογικῆς, ἢ ἀληθεύσα ψυχὴ τὸ κατὰ Φᾶναι καὶ ἀποΦᾶναι. Cujus Definitionis Genus (ἐξίς) cum *Morali* est commune: *Differentia* verò planè diversa; & quidem (1.) quoad ὑποκείμενον, quod est ἡ ψυχὴ, quæ vel λογικὴ, atque sic hujus *Habitus* Subjectum constituit, vel ἀλογος, & sic *Morali* adjungitur. Illa anima pars, λογικὴ scil., vicissim vel est ἐπιστημονικὴ, quâ res rerumq; causas cognoscimus, vel λογιστικὴ ἢ βουλευτικὴ, quâ res contingentes deliberamus: Hæc verò ἀλογος etiam duplex est; vel Φετικὴ & nihil cum ratione commune habet, cujus partis nullus propriè *Habitus* est, vel ὀρεκτικὴ & aliquo modo rationis particeps evadit, quatenus ratione potest regi; atque in hæc animi parte *Habitus*, qui *Moralis* dicitur, locum habet. (2.) Quoad ἀντικείμενον, quod *Habitus* hujus statuitur, esse *Veritas*, *Moralis* verò *Bonitas*, quippè *Moralis Habitus* semper, quod *bonum* est, profequitur; non tamen quodvis, sed *summum Bonum*, quod & illius *Finis* est: *Habitus* verò διανοητικός, κυρίως dictus, circa omnes res versatur, quæ *verum* vel *falsum* continent, & de quibus Δόξαια aliquid affirmando vel negando interius secum vocis fonte h. e. ratione pronunciat, sive id fiat in rerum necessariorum speculatione, sive in honestis actionibus profequendis aut turpibus fugiendis. Undè etiam duplici operatione defungi dicitur, nimirum τῶ ἀληθῆς κατὰ Φᾶσει καὶ ψεύδεις ἀποΦᾶσει. *Veritas* ergò proprium ejus *Objectum* manet, uti & *Finis*; ad cujus inquisitionem *Intellectus* sensibus, tanquam satellitibus, iterum uritur. Ut non inconcinnè hæc de re Divinus ille Prometheus dixerit, DEUM & Naturam in animo hominis τρια reposuisse Principia, undè omnis *Veritas* & actio proficiscatur, scil. 1. νῦν ἢ λόγον. 2. αἰσθητικὴ, & 3. ὄρεξις, hoc tamen apposito discrimine, quod ἡ αἰσθητικὴ tantum cognitioni, ἢ ὄρεξις tantum actioni, ὅ νῦν verò utriq; inserviat, prout vel illi, vel huic jungitur. Ex mente & appetitu qs. combinatis secundarium quoddam pro-
manat

manat principium ἢ προαίρεσις, quæ optimè à naturæ genio ὀρεξις ἀνοητικὴ ἢ νῆς ὀρεκτικὸς appellatur. Ea si rationis rectè suadentis, nec non appetitus prosequentis concentum habet, (δεῖ γὰρ ταῦτα πάντε λόγον φάσαι, καὶ τὴν ὄρεξιν διώκειν, ait Aristoteles) bona est, & τῆς εὐπραξίας scaturigo; sin vitiosâ ratione, & appetitu diversum prosequente vel fugiente, constat, prorsus mala est, & τὴν δυσπραξίαν gignit. Et hæc γενικῶς de Habitu Intellectuali: Undè sequentia deduci possunt πορίσματα:

1. Universalia, propriè dicta, non dantur extra mentem, sed sunt in mente.
2. Nihil est in Intellectu, quin prius in sensu fuerit, E. p. c. concedendum, Singularia prius objici.
3. Deficiente sensu aliquo, deficit etiam Intellectualis notitia ejus rei, quæ pertinet ad illum sensum.
4. Ex iis, quæ sensu percipiuntur, universale colligitur, E. productu singulari, producitur & universale scil. concretum & materialiter sumptum. E.
5. Universalia à singularibus nequaquam sunt separata: Sublatis enim substantiis primis, tolluntur statim secundæ.
6. Cognitio hominis non est intuitiva, sed discursiva h. e. fit per actum reflexum, non directum.
7. Anima in genere Intelligibilium est pura δύναμις h. e. non habet connatum Habitu. ex suprâ dictis.
8. Intellectus objectivè est indeterminatus, licet subjectivè sit determinatus, E. Intellectus intelligendo fit omnia sc. idealiter subjectivè.
9. Ubi est congruentia vel conformitas rei cum Intellectu, ibi est Veritas.

IV. Specialis Habitus Intellectualis Consideratio Divisionem insinuat ejusq. Species enumerat.

Ratione Objecti vel Finis Habitus Intellectualis, cui Veritas assignata fuit, (Loquimur autè semper de Principalibus sive realibus, qui uti ab Instrumentalibus omninò distinguendi, ne cū Ramistis eos

eos

eos non agnoscentibus convolutum chaos introducatur; ita
 hisce relictis istos solos hâc vice pervolvendos assumemus) In-
 tellectus duplex est: vel *ἰσθητικὸς* & *Speculativus*, inque nudâ
Veritatis contemplatione acquiescit, sui que perfectricem habet
ἀλήθειαν θεωρητικῶν, hanc *Intellectus facultatem* Philosophi *mē-*
tis legem, item *interiorem hominem* appellitant, eamq; Aristoteles
 ipse *curvæ lineæ* assimilavit, cum foràs ad intelligibile objectum
 educta, mox ratione illius imbuta, in seipsam revolvatur. Vel est
λογιστικὸς & *Practicus*, quæ facultas, non contenta *contemplatione*,
 ad *πρᾶξιν* progreditur, sui que perfectricem habet *ἀλήθειαν*
πρακτικῶν, quam Philosophi *ὄρεξιν* seu *affectum*, item *corpus* &
exterio rem hominem vocant; hinc eam Aristoteles *lineæ rectæ* com-
 paravit, quod ex se egrediens ad seipsam non reflectatur. Ex qua
 duplici Intellectus facultate duplex quoq; ejusdē *Habitus* emer-
 git: alter *θεωρητικὸς* seu *Contemplativus* vocatur, & sub se tres cō-
 prehendit Species: *ἰσθητικὴν καὶ σοφίαν*; alter *πρακτικὸς* sive
Activus, cujus Species duæ: *φρονήσις καὶ τέχνη*, quarum posterior
 propriè *Effectivus* dicitur; Quibus quinque *Speciebus*, non aliter à *fal-*
so verum discernitur, quàm Lydio lapide à Scoria aurum exami-
 natur. Sed de illis paulò post plura.

Videtur autem data *Habitus Divisio* multis incongrua, eò
 quod divisa ejus in re ipsa sint conjuncta: Etenim dum *contem-*
plamur, agimus; & antequam *agamus*, quid & quomodo agendum
 sit, *speculamur*; undè unum alteri inesse, quis non sentiat? Verùm
 ut *difficultas hæc* diluatur, uterque terminus, *θεωρία καὶ πρᾶξις*,
 est expendendus, qui bifariàm accipitur: 1. *propriè*, & sic *θεωρία*
 est functio Intellectus sine Voluntatis actione; *πρᾶξις* verò
 functio animi, Intellectu quidem non excluso, in eo tamen non
 acquiescens, sed ulterius per voluntatem & appetitum ad opus
 progrediens. 2. *Impropriè*: sic *θεωρία* notat quamcunq; co-
 gnitionem, & *πρᾶξις* quamcunq; actionem, atq; hoc sensu im-
 proprio non negamus, in *Practicis cognitionem dari*. Rebus enim
 ignotis non potest moderamen adhiberi; neque sensu hoc infi-
 ciamur, Theoreticis actionem inesse; dum enim quis contem-
 platur, non certè otiosus existit, sed verè quid agit; Propriè ta-
 men

men θεωρία tantum est *Speculativa*, & πρᾶξις tantum *Activa*.
 Positâ *Habitus* hujus legitimâ *Divisione*, nunc ejusdem *Specierum*
Numerum τῶ ἐν τῷ ἀπολογισμῷ τῆς σαφηνείας ἕνεκα confide-
 rare, eumq; quem ipse *Aristoteles* (16. *Nicom.* c. 3) *quinarium* po-
 suit, confirmare & adhibito *rationis ἐρείσματι* stabilire, animi
 habentia est. Hoc a. eò commodius fiet, si primùm ea, quæ à non-
 nullis falsò & prorsus ἀπερισκέπτως hisce insinuantur, ut in-
 epta, removerimus. Perperam itaq; illi agunt, qui vel ex eo *qui-*
narii numeri sufficientiam in dubium revocandam esse putant,
 quod præter dictos plures adhuc (δόξαν scil. & ὑπόληψιν im-
 miscent) superesse videantur *Habitus*, ad illos non reducibiles:
 Siquidem ambas illas ipse *Aristoteles* vult exclusas, quippè qua-
 rum d. l. nullam fecit mentionem. Et licet eæ *Habitus* Defini-
 tionem aliquatenus ingrediatur quoad *Objectum*, cùm circa ve-
 rum falsumq; versentur, *Habitus* tamen nomine cohonestari ad-
 huc non merentur. Namq; ad τῆς ἐξέως παρνομασίας requi-
 ritur etiam τὸ ὑποκείμενον αὐτῶ ἀπαρτίζειν, & quæ sunt alia
 requisita plura; quæ sanè istis jure attribui non possunt, cùm a-
 nimum potius corrumpant quàm perficiant, eumq; mutabilem
 & ex parte inconstantem reddant, & per illas nos ipsi fallamur
 fallentesq; alios errores minimè levidenses incurramus. Iis, in-
 quam, tanquam ἀλλοτριῶς, rejectis, *Sufficientiam numeri* jam ut
 probemus, primùm omnibus sit persuasissimum, sicuti diversa
Sensilia diversos *Sensus* postulant, ita ad eundem planè modum
 diversa *Intelligibilia* diversos requirere *Habitus Intellectivos*. Respe-
 ctus n. *Cognitionis* nostræ ad sua *Objecta* talis est, qualis men-
 surati ad suam mensuram; prout igitur *Objecta* variant, ita & *Co-*
gnitio. *Objectorum* autem quædam ex parte per se nota sunt, sta-
 timq; humanæ menti offeruntur, ut ἀρχαὶ vel *Principia prima*, (cū
 vulgo hîc loqui placet, licet melius instructi simus, videsis infrâ
Theor. 7. ἐξήγησιν) quorum *Habitus* est *INTELLIGENTIA*; quædam
 non ita per se, sed per *discursum* saltem innotescunt, & discrimi-
 nantur vicissim in ea, quæ tantum cognosci possunt, & illa, quæ
 insuper nostræ subsunt potestati. *Prioris generis* sunt ἀποδείξεις
 seu *Conclusiones*, quæ vel ex *Principiis primis* collectæ, quarum *Habitus*

C

SCIEN-

SCIENTIA est, vel tales cum *Principiis* complicatae, quarum *Habitus* SAPIENTIA: *Posterioris* verò *generis* sunt primò, in quorum usu atq; exercitio *Honestas* ac *Turpitude* attenditur, eorumque *Habitus* est PRUDENTIA; deinde sunt externae illae *res corporeae*, undè opus aliquod potest effici, quod alicui in vitâ humana sit usui, quarum *Habitus* ARS indigitatur. Et præter hos quinque *Habitus* nullus inveniri potest alius, qui jure istis assignetur, id quod pluribus demonstrare valeremus, si modò res adhuc obscura foret. Sed pergendum. Distinguuntur dicti *Habitus* omnes quoad rei distinctionem, in qua versantur: namq; in re, quæ simpliciter est necessaria & æterna, cujusq; Principia se aliter habere nequeunt, occupati sunt *Habitus Theoretici*; in re verò mutationi & varietati obnoxia, cujusq; Principia se secus habere possunt, versantur *Habitus Practici*. De Ordine verò eorum, quo sc. sint considerandi, aliquid addere non necessum videtur, cum in eo nimium curiosum esse, sit qs. nodum in Scirpo quærere, secundum veriverbiû philosoph.: accuratâ tamen methodo rem proponere, faciliori nostræ cognitioni inservit; proindeq; vel maximè intererit, genuinum cuique *Habitus* locum statuisse. Primum itaq; arripere videtur INTELLIGENTIA, quippè ex qua cæteri omnes luminis aliquid desumunt. Quemadmodum enim ex præstantissimâ *Solus* luce promanant radii, quorum lumine replentur perspicua corpora, qui radii repercussi splendorem pariunt, & post primam repercussionem umbras: eadem ratione ex INTELLIGENTIA, qs. ex luce, manant SCIENTIÆ radii, qui in congruente materie recepti gignunt SAPIENTIAM quasi lumen, repercussi ad actiones pariunt PRUDENTIAM qs. splendorem, ac demùm, tâquam umbras, proferunt ARTES humano generi apprimè necessarias. Quæ omnia de Natura & Constitutione *Habitus Intellectualis* sufficiant. Nunc pedem cõferimus ad ejus *Species*, seorsim de qualibet paucula prolaturi in duabus seqq Sectionibus: antequam autem id fiat, ex dictis iterùm præmittimus *πρὸς οὐατα*:

I. *Habitus* Intellectuales principales cum Instrumentalibus non confundendi, E.

Logicæ Genus ex Intellectualibus *Habitus* non desumendum E. in fu-

in fumum ab it talis Ramist. argumentandi modus:
omnis Habitus est vel θεωρητικός vel πρακτικός; Lo-
gica est Habitus E &c.

17

2. Habitus in Intellectu formati omnes verè sunt Entia realia.
3. Habitus Intellectuales tantùm quinç; sunt, neque plures neq; pauciores; quoruplicia enim sunt Objecta habituum realium, totuplicia sunt & ipsi Habitus.
4. Species Habituum aptæ natæ sunt cuilibet Disciplinæ Philosophicæ suum constituere Genus.
5. Nullus Habituum Theologiæ proprium & accuratum Genus seorsim præbere potest, contra Scholast. & Calvinianos.
6. Opinio & Suspicio ἀνύεως Habitus Intellectuales saluantur. vid. Aristot. l. i. post. Anal. c. 26. t. 44.
7. Quæ in Ordine sunt necessitate prima, ea Dignitate ac nobilitate sunt postrema e. g. Artes quoad necessitatem cæteris Habitibus præferuntur, quoad Dignitatem meritò postponuntur, vid. inf. Sect. 3. Membr. ult.

SECTIO SECUNDA

Habitus Theoretici Descriptionem constituens, ejusq; Species per certa MEMBRA evolvens.

V. *Habitus Theoreticus Intellectum in iis, quæ necessaria sunt, ita instruit atq; habilitat, ne in cognoscenda eorundem Veritate hallucinetur. Estq; vel Simplex vel Compositus.*

Ne in vera horum Habituum Contemplatione instituenda hoc loco quid desideretur, excussâ in priori Sectione τῆς ἐξέως ἀγνοουμένης Definitione, satisq; confirmatâ ejusdem Divisione, lubèies jam (flagrante tamen Instituti ordine) membra Divisionis datæ as-

C 2

f. me.

sumemus declaranda. Et quidem, quoad prius, se exhibet *Habitus θεωρητικός* (sic dictus à *θεωρία* seu *Contemplatione*, orta ex *δυναμει κρηλική* connatâ); cujus Descriptionem meritò præponimus, ut, quid ipse sit, antequam ad ejus Species enodâdas nos accingamus, nobis innotescat. *Descriptio* autè, hoc in Theoremate posita, conflata est ex *Objecto & Fine*. *Objectum* sunt *res necessariae*, quæ causas habent extra nos constitutas, ideoq; humano arbitrio minimè subjectæ ipsæ, quippè verè divinæ sunt ac æternæ, circa quas dum Intellectus noster versatur, nihil in iis mutat, sed *Veritatem* dūtaxat illarum cognoscendo investigat, rebus immutabiliter permanentibus. Undè etiam propalàm resultat ejusdè *Finis*, qui est nuda *Veri Cognitio*, ad *πεῖξι* nō relata: In hâc enim contradistinguitur à *πρακτικῶ*, quod vult ipse Aristoteles, quâdo a *Metaph. cap. 1. t. 3.* dicit: *τέλ. Θεωρητικῆς (ἐξως) ἀλήθεια, πρακτικῆς δὲ ἔργον*. Hinc oritur *Veritas in cognoscendo*, quæ à Philosophis describitur conformitas Intellectus ad rem, vel naturalem, vel necessariam ex natura sua non operabilem. Est verò *Theoreticus Habitus* (de *Practico* in Sectione ultimâ), ratione *Specierum* sub se contentarum, vel *Simplex*, respectu *Compositi* ita vocatus, nempe quod non sit conflatus ex aliis ita, ut illis acceptum suum Esse referre teneretur, quales sunt *INTELLIGENTIA & SCIENTIA*; vel *Cōpositus*, qui ex duobus quasi combinatus, in quæ vicissim resolvendus: qualis est *SAPIENTIA*, Esse suum à prioribus, *INTELL. sc. & SCIENTIA*, deportans. Quæ ut plenius percipiâtur, distincta *MEMBRA* ponemus, sub quibus singulis singulæ comprehenduntur *Species* ventilandæ. Absq; longiori igitur præfamine ad ea accessuri, ex dictis prius eruemus *περίσματα*:

1. *Θεωρία* in iis deprehenditur rebus, quæ *Φύσει* non sunt effectivi vel operabiles: In hoc enim consistit formalis ratio *θεωρίας*.
2. Aristoteles in libello de Anima Intellectum nostrum nudæ tabulæ æquiparat, cui nihil actu est inscriptum, omnia autem inscribi possunt; quæ *Inscriptio* continere viderur per *γνώσιν*.
3. Necessariò formandus est aliquis *Conceptus*, quo distinguatur

guatur γνώσις à θεωρίᾳ tanquam latius ab angu- 19
stiore.

4. Omnis nostra cognitio præsupponit aliquam δύναμιν ἐμ-
Φύτλω, quæ nos à brutis distinguat.
5. Intellectus noster per actum reflexum cognoscens legi-
timè à rebus mensuratur, à quibus suum εἶναι
habet.
6. Intellectus noster cognoscens salutatur verus, in quan-
tum habet conformitatem rei cognitæ. Quam con-
formitatem cognoscere, est veritatem possidere.
7. Habitus Theoretici tres tantùm Species sunt ponendæ.
Contra illos, qui quartam constituere non dubitant
πνευματολογία propriam & à cæteris distinctam.

MEMBRUM PRIMUM

DE INTELLIGENTIA.

*VI. Est necessariò aliquis Habitus in θεωρίᾳ ponen-
dus, qui Intellectui Principiorum Cognitionem
inculcatum eat.*

*Intellectum nostrum in se Objectivè esse indeterminatum, in
potentia tamen ita ad omnia se habere, ut, sano sensu, intelli-
gendo ea ipsa in simul fieri non repugnet, vel ex antecedentibus
est perspicuum nobisq; persuasum. Etenim hoc privilegio In-
strumenta incorporea & mentalia maximè gaudent, ut rebus
applicata unum cum ipsis constituentur, cuius rei interpretes est
Philosophorum ille Primipilus, cum in libro 3. de Anima inter
alia inquit: Ἐπὶ γὰρ μὲν τῶν ἀνθρώπων ὕλης, τὸ αὐτὸ ὅτι τὸ νοεῖν, καὶ τὸ
νοεῖσθαι. Quando itaq; Intellectus Objectivè determinatur, habi-
tualitèr statim perficitur, quippè omnis Cognitio nostra habitualis
est & per discursum acquiritur: Jam verò eundem Intellectum per
Principiorum cognitionem determinari posse, quis facilè neget?
quando videlicet per eam satisfit mentis desiderio, quo forma-
lem rationem Principiorum scire desideravit. Imò quin eadem*

Cognitio Intellectui competere debeat, nullum est dubium; nisi enim ea ipsi competeret, nullius rei Scientiam assequi valeret: ignoratus namq; primis nihil Intellectui reliquum, quod sciat, uti peracutè Zabarella, post Aristotelem & Averroen facile princeps Logicorum, in lib. 2. pæster. *Analytic.* c. 15, hæc demonstrat, inquiens: *Dum ignoramus, qualisnam sit Principiorum cognitio, necesse est, ut de Scientia quoque Demonstrativa dubitemus; & paulò post ibid. propterea quod Principia debent esse notiora Conclusionem, & tota Conclusionis cognitio pendet ex Principiorum Conclusionem.* Et quid? si Intellectus eâ destitueretur, ipse homo rationis suæ impos evaderet, quippè omnis ratiocinatio exposcit prænotionem definiti alicujus Principii, per quod in notitiam cæterorum perducatur. Prætereà ἡ φύσις ἔδεν μάτην ποιεῖ, ut Philosophus (l. 1. de cælo c. 4.) ait, nec tribuit animanti partem animæ sine facultate judicandi Objectum suum: Homo autem per naturam, vel potius DEI munere, qui primum agens est, mente præditus est, cui primò, tanquam Objecta, respondent prima Principia; ne igitur mens prorsus amens dicatur, ultrò fateri cogimur, ipsi Principiorum Cognitionem competere natam esse. Quòd si jam verum est, uti satis probatum, Intellectui prima Principia Objectivè competere; quid veritat, quin intrepidè affirmemus, Habitum introducendum esse, per quem ad illorum assensum iste determinetur? quò aliàs negatò, corrui istud, omnem nostram Cognitionem esse habitualem, quod Principium. Sed cùm h. l. ansa nobis præbeatur, Principiorum naturam altius indagandi, antequam ad eorum Habitùs ventilationem provehamur, unam atque alteram Quæstionem de eadem instituisse, sit integrum? ut qua in sylvâ nos versemur, omnibus parescat. Sit igitur I. *An Principia quædam prima nobis à naturâ sint innata?* & II. *An Principiorum Habitùs, quando nascimur, nobis non insit, sed postea innascatur h. e. acquiratur à nobis iam natis; an potius insit animo nostro, quando nascimur, & ita nobis sit connatus, interim tamen ad tempus absconditus maneat & lateat in animo, postea verò apparere incipiat, & videatur acquisitus?* Ultraq; sanè intricata satis, & plurimis magnis viris negotium fecit, ab ipso Aristotele ex parte decisa, attamen subobscurè paululum; à cæteris ve-

ris ve-

ris verò Philosophis haec paucis, post Aristotelem, acutissimis
 fusius discussa. Nos, ne nimium excreseat ἐργασία praesens,
 ejus compendium facturi pauculis rem totam deliniemus.
 Quod ergò priorem attinet, novisse debemus 1. circa *Subiectum*
Quaestionis, agere illud ἀπλῶς de *Principiis* (1.) *primis*, quorum
 notitia ex aliis prioribus non generatur, (2.) *immediatis* ac de-
 monstratione destitutis. 2. Circa ejusdem *Prædicatum*; Ubi
 iterum tenendum, *aliquid à natura innatum esse* intelligi bifariam,
 vel δυνάτως h. e. *quoad potentiam*, vim naturalem habentem, vel
 ἐνεργητικῶς h. e. *quoad ipsum actum*, quatenus ipsam perfectio-
 nem seu complementum attendit. In priori significato sumptâ
 phrasi, ambabus, quod dicitur, *ulnis largimur*, *Principia prima*
nobis naturaliter congenerari h. e. *potentiam seu facultatem ali-*
quam τῇ φύσει à nativitate nobis inesse ad cognoscenda atque
amplectenda Principia τὰ μὲν θεωρητικὰ, quæ fontes sunt Scientia-
 rum, quàm πρακτικὰ, circa mores seu actiones hominum oc-
 cupata; nempè generatur *Homo animal rationale*, naturali qua-
 dam vi instructum, quæ vis δυνάμεις κερτικὴ indigitatur, quâ
 πᾶσα φύσις, κινῆσις ἐννοίας, πᾶσας ὀπβολὰς apprehendere
 aptus homo redditur. Hæc enim vis partim in sensu, partim
 in memoria, partim in ratione consistens postea exercitur, ita ut,
 quando res quædam sensu percipiuntur, statim memoriâ con-
 ferventur; ex quibus jam sensitivis, in memoria reservatis, *Ra-*
tio vel Intellectus universalem quandam notitiam *per Inductionem*
vel Experientiam colligit, per quam proximè *Habitus* generatur,
 eaq; ratione *Actus potentia* superstruitur: quæ *actualis notitia* quo-
 ad actum secundum homini non connascitur, sed, ut diximus,
 ipsius Intellectus rerum cognoscendarum (species, sibi oblatas,
 actu cognoscere incipit, cum antea *potentiam*, nudam saltem,
 cognoscendi haberet. Videmus sanè ipsa experientia edocti,
 quomodo *natura potentias* duntaxat largiatur, minimè tamen
actus e. g. *in Infantibus*, recens natus, quibus natura potentiam con-
 cessit ad ambulandum, ad ridendum &c. non verò actum am-
 bulationis, ad quem imbecilles sunt minimeq; apti, nec risum
 ipsum, qui progressu temporis primùm accedit. Aliàs *contra*
actualem Principiorum notitiam ita concludunt:

Que-

Quaecunq; Habitum constituunt, ea non sunt actu nobiscum nata,
sed potius acquisita; atqui Principia prima Habitum consti-
tuunt, E.

non sunt actu nobiscum nata, sed potius acquisita.

Majoris connexionem probant ex formalitate Habituum,
de qua supra dictum in Sect. I.

Minorem sequens Theorema declarabit.

Quibus jam praesuppositis, facilis & expedita erit posterior *Que-
stio*, quæ de ipso Principiorum Habitu movetur. Cum verò ea sit
bimembris, unumq; membrum alteri opponatur, utiq; unum
assumendum, alterum, ut falsum, rejiciendum: μή γδ ἐνδέχε-
ται αὐτὰ ἀμφοτέρω τῶν αὐτῶν εἶναι ἀρχαί. Qui autem negant,
ipsa prima Principia, actu talia, nobiscum nasci, quantò magis
negabunt, eorum Habitum, (qui majori constat perfectione) no-
biscum generari, quippè qui, ut supra de Habitu in genere satis
abundè demonstravimus, non nisi usu, crebris studiis progressu
temporis acquiratur. Quod si verò hæc natura Habituum perfe-
cti, qui potest hominibus esse insitus aut ἐμφυτός, quivè in
animo humano ad tempus absconditus manere? ἀπορον. Ut
itaq; hæc de re certi quid statuamus, nec nos ipsos in ea implice-
mus, etiam adsertioni priori insistimus, idq; ut veritati consen-
taneum stabilimus, asserentes, Principiorum Habitum φυσικῶς
nobis haut esse insitum, sed ἐκ ἀγνοουμένης à nobis, jam natis, ac-
quiri; non quidem ex aliis prioribus, (sivè præcedente aliquâ co-
gnitione, sicuti omnes Scientiæ acquiruntur, quæ Principia ista
supponunt) cum nihil prius vel se præstantius habeat: sed ἐπι-
γνωτικῶς, uti ajunt, per effecta, seu sola Inductionis vi investigari;
quæ Inductio ex singularibus notis sumitur, quæ vicissim talia esse
nequeunt, nisi adminiculante sensu, uti ex dictis jam patet. Iccirco
valdè jejuna videtur esse consequentia, quando quidam
ἀποδοί dictam sententiam impugnare conantur, argumen-
tando:

Omnes homines sciunt Principia quaedam Prima, quæ Intelligen-
tia evolvit, E.

Intelligentia est Habitus nobiscum natus, E. non acquisitus.

Eodem

Eodem namq; rationis genere & nos argumentari valeremus:

23

Omnes homines sciunt, suum cuiq; esse tribuendum, neminem la-
dendum, E.

Philosophia Practica, quae agit de iudē, est habitus nobiscum natus.

Quem posteriorem tamen ratiocinandi modum nemo Philo-
sophorum admittet, sed illum ut *ἄλογον* detestabitur; cur non
& priorem? Sed de hisce satis! plura in subsequenti *Ἰεωρήμα-*
τ declaratione. Nunc dictis lubētes apponimus *πορίσματα*:

1. Objectum initiō ubiq; est constituendum, quo Intellectus
è statu indeterminato in determinatum ducatur.

2. Principia sunt fundamentum omnis Cognitionis, adeō
ut, qui illa tollit, omne humanum *σωφρονεῖν* subvertat, E.

Ex antecedente Principiorum cognitione omnis alia co-
gnitio *Ἀφρονήλική* esurgit.

3. Ad Principiorū notitiā tendimus viā sensuum; hinc *ἀξιω-*
μα: Nihil est in Intellectu, quin prius in sensu fuerit, sive
ἐμμέσως, sive *ἀμέσως*, vid. sup. *πορ. 2. Ἰεωρ. 3.*

4. Principia quaedam levi negotio, & nobis ferè nō animad-
vertentibus, addiscuntur.

5. Principiorum notitia in adultis, senibus & hominib; lon-
go rerum usu exercitatis longè præstantior est & perfe-
ctior, quàm in juvenibus & pueris, qui usu & exemplis
destituuntur.

6. Principiorum Habitus perfectus nobis congenitus non
est: et hætenus mens similis tabulæ dici potest. Sicut
Tabula non perimitur, si quid in ea scribitur & depingi-
tur: sed potius perficitur; sic etiam Mens non interit,
cum ex facultate mente fit actu Intellectus: sed potius
absolvitur.

7. Principiorum Habitus non acquiritur demonstratione,
nisi processum in infinitum admittere velimus, qui ta-
men vitiosus iudicatur; E.

ἀπλῶς falsum est, omnem perfectam cognitionem per
demonstrationem acquiri; cū quædam dentur imme-
diata, scilicet Principia, quæ vel per solam Inductionem
investigari nata.

D

8 Prin-

8. Principia indemonstrabilia in Speculativis non sunt ipse Habitus Principiorum: sed sunt Principia, quorum est Habitus.

9. Habitus Principiorum habet se ad Habitus Conclusionum, tanquam Causa ad Effectum: E.

Intelligentia naturâ & cognitione prior est Scientia.

VII. INTELLIGENTIA dicitur Habitus Intellectualis Theoreticus simplex, Subtilitatem attendens, quatenus ex eâ Principia prima cognoscendi fluunt.

Reverâ Homo qs. cœlestis avis est, qui in terris collocatus, in cœlum evolaturus, ob varios gradus, per quos ascendere tenetur magis magisq; sublimes, variis qs. pennis, gradibus istis decurrendis congruentè respondentibus, muniatur, necesse est, quò eò felicius cursum suum absolvere scopumq; sibi propositum attingere queat. Hujusmodi autem salutares pennæ omninò sunt quinq; Habitus Intellectualis Species, quæ quò sunt eminentiores, eò citius nos ad sublimiora elevatum eunt. Quùm autem quinq; hæc species duorum qs. generum sint, ita ut tres priores ad *θεωρητικὴν*, duæ verò posteriores ad *πρακτικὴν* duntaxat referantur, illæq; priores ultimis aliis, ipsa dictitante ratione, longè sint præstantiores, quid vetat, quin eadem priori quoque loco à nobis pro re nata considerentur? Inter istas jam primas obtinere videtur Νῆς, seu *Intelligentia*, quæ *Habitus Principiorum* salutatur, mentem nostram qs. flectens firmiter assentiri illis, quæ demonstrari nequeunt, vel quemadmodum ipsum Naturæ Miraculum (l. 6. *Nicom. c. 6. & alibi.*) eam declaratam dedit: *ὁ Νῆς δὲν ἔστι, ἢ τὰς δεξὰς θεωρητικῶν*; *Cognitio* autem *Principiorum* Ordinis ac Dignitatis ratione omninò aliarum rerum notitiam præcedit, siquidem hæc fundatur in ista. Hujus itaq; *Habitus Existentiæ* in præcedente Theoremate satis probatâ, restat nunc ejus naturâ per *Definitionem* inquiramus eamq; pro ingenii modulo examinatam impræsentiarum repræsentemus. Præstitimus verò id dato hoc Theoremate, quod ut eò meliùs percipiatur, singula ejus membra non levitèr attendenda videntur. Primùm ergò circa definitum prænotandum, *Intelligentiam* hîc non ipsam ho-

minis

minis mentem notare, neque potentiam intelligendi, nemini
 non innatam: sed *Principiorum Habitum*, qui non est *συμφυτος*
 sive nobiscum congenitus, sed *ἰνυτητος*, quo v̄s in cogno-
 scendis Principiis habilitetur ac firmerur. Quemadmodum n.
ὄψις & pro videndi facultate, & pro visionis actione usurpatur:
 Ita quoque v̄s, qui *μεταφορικῶς anima oculus* dicitur, non tan-
 tūm immortalem animæ facultatem, verūm etiam primam ejus
 actionem, quæ *primorum Principiorum* cognitio est, significat, ut
 hoc nervosissimè *Subtilitatum* ille *Magister in Exercitationibus suis*
 expressit; & ratio est, quia prima hæc mentis actio ad cæteros
Habitus perindè se habet ac *Mens* ad universam animam: hinc
 cæteri isti, ab hæc sejuncti, reverà dici merentur mente, oculo
 luceq; clariori prorsus destituti. Posito jam definito, eoq; ab
ὀμωυμίας tenebris liberato, *Definitionem ipsam* aggredimur, quæ
 duabus partibus, *Genere* videl. & *Differentia specifica* constat. *Ge-*
nus ipsius his continetur verbis: *Habitus Intellectualis Theoreticus*
simplex; quod ipsum proluxiori illustratione ferè non indiget.
 Namq; *Habitus* est (subintelligitur *realis vel Principalis*) *Intellectua-*
lis, quippè in hoc cum reliquis tam *Theor.* quàm *Practicis* conve-
 nit & specie saltem ab iisdem differt: additur autè *Theoreticus* ad
 differentiam *Habitus* hujus à *Practicis* tantūm; demūm quoq; di-
 citur *simplex*, in respectu ad hunc & *Scientiæ* habitum, qui omnē
 compositionem respuunt: ut vel ex dictis inclarescit. Sed *Diffe-*
rentia cæteris exprimitur verbis, quib; simul *Objectum* ejus uti &
Finis includuntur. *Objectum* (quod alias *Subiectum de quo vel cir-*
ca quod vocatur) *ἀνεπιστῶς* loquendo non sunt ipsa *Principia*, quippè
 quæ sunt vel *cognitionis*, vel *rei* sive *constitutionis*; Illa dicuntur
 complexa, hæc Incomplexa, quemadmodum ex *Metaphysicis*
 erudimur: sed neutra *proprium* *Habitus* hujus *Objectum* ponunt;
 non illa, quæ sunt *cognitionis* & complexa *Scientiarum ἀξιώματα*
 evolventia, quia omne *Subiectum* non nisi *Simplex* & *Incomple-*
xum sit, necessum est; proindè vel univocum vel Analogum
 (nam unitas, & simplicitas solūm reperitur in Univoco & Ana-
 logo) adeoq; omnem æquivocationem, aggregationem nec nō
 concretionem excludat. Contra quæ *Objecti* veri requisiti a (ut
 alia à *Clariss. Dn. Gutkio in Hab. Intellig.* recensita silentii cono-

pœo involvamus) *istud Principiorum genus impingit; adde quod illa saltem probent & quidem à posteriori: probans a. & probatū non sunt idem. Neq; hæc, quæ dicuntur Essendi sive rei Principia, quæ omninò alienæ sunt considerationis: Vocantur quidem & sunt Incomplexa, cum res simplices sint v. g. Materia, Forma, Efficiens &c. quia tamen non tam ad rei cognitionem quàm ad ejusdem essentiam eamq; vel producendam vel constituendam faciunt, Intelligentiæ Objecti rationem legitimam excedunt. Aliud itaq; dicti Habitus Objectum est substituendum, quod ad ejusdem formalitatem propius accedat inferendam, quodq; sibi propriū quid à veri Objecti natura participet, sitq; (1.) *conceptus realis*, (2.) *certus constans Principius* & (3.) *affectionibus præditus*, nec non (4.) *per modos limitari aptus*, qui (5.) *in nulla Disciplina alia vel Principium, vel affectio, vel species, vel modus* salutetur. Ejusmodi a. *conceptus* non adeò obvius, nec communiter præscriptus; nisi quod subtili & peracuto philosophandi modo indagavit posuitq; *Vir Clavis. atq; Eximius Dn. M. Guikius d. l. τὸ λεπτότητα* (liceat eam ita vocare) *Subtilitatem rerum, quatenus ex eadem Principia cognoscendi fluunt; in quo formalis Objecti hujus ratio consistere putatur; Et quidem quoad primam legitimi Objecti notam Conceptus hic realis est, extra nos in rebus verè existens h. e. non Ens rationis, non concretus, nec aggregatus; præterea est & Univocus: quamvis aliàs in se considerata Subtilitas πλεοναχῶς dicatur & æquivoca evadat, ita ut 1. quemvis politum & limatum effectum denotet, quo nomine Oratio dicitur subtilis, scriptum subtile, vir subtilis &c. 2. Corpus quoddam, vulgò subtile dictū ob id, quod tenuium sit partium vel membrorum, designet: ab hujusmodi tamen significationū varietate liberata non nisi simplex atq; Univoca permanet, quod fit alienos accipiendi modos à se removendo & certū quid determinando. Dicitur autem quod significet optimam & accuratam rerum Dispositionem, ex conjunctione vel affinitate earundem ortam, ut magis proprium, assumendo. Sed, quoad alteram notam, certa omninò possidet principia, non quidem Essentia, sed cognitionis, quibus ejusdem affectiones probantur; quapropter CL. Dn. Guik. Subtilitatē descriptā dedit, quod sit Dispositio, quā res create propter summam affinitatē mutuamq; cōjunctionē ita**

ad se

ad se invicē referuntur, ut eam contemplando deprehendamus, cur DEus nec planè sibi simile, nec tamen aliquod à se prorsus diversum efficere voluerit; atq; sic perceptâ ista affinitate summa, Principia maxime egregia eruamus, quibus accurata & solida cognitio inniti possit: Hæc ille. Sed hîc jam iudicium nostrum suspendimus: saltem nunc exercitii gratia hypotheticè ponimus; Confectarium videtur, ejusmodi constituenda esse Principia prima, cujusmodi dicta proportionalitas permittit: Hujusmodi jam possunt esse sequentia: 1. Deus & Natura abhorrent ab omni confusione & mendacio; E. contemplando subtilitatem eruimus principia certa, ut evitetur confusio; vera autè per representationem, ut evitetur mendacium. 2. Creatura abhorret ab infinito: E. omnis subtilitas consistit in Idea, nec Individua, tanquam infinita, considerat. 3. Impossibile est, idem simul esse & non esse: verum enim est, Deum nec planè sibi simile, nec tamè prorsus diversum à se producere valuisse. 4. Impossibile est, idem simul esse, & cum alio esse confusum; atq; hoc fluit ex illo: Deus, & Natura, & Intellectus ab omni confusione abhorret. Sunt & infinita ferè alia e.g. Impossibile est, Summum Ens dolore affici: Totum est majus qualibet sua parte, & similia, quæ *βραχυλογίας ἐνεκα* omittimus. Quæ a primò & adæquatè convenient data subtilitati, jam non disputamus, saltem ea narramus: illis vero positis, quoad tertiam objecti notam, Affectiones objecto huic competentes traduntur: quales sunt I. Veritas Principiorum per representationem: quod attributum vel ex dictis satis patescit; certum enim est, idem cum subjecto posse converti, ita ut omnis Subtilitas fiat per accuratâ representationem, & contrà: quod fit per representationem, illud fit subtile; ex eò, quia omnis Subtilitas fundatur in proportionalitate Creaturae ad Creatorem Deum, id quod sanè debet esse verum per representationem; & ratio est: quippè proportionatum esse DEO extra mentem, & simul menti nostræ, proportionatum istud contemplanti, representari, nullo modo separari possunt. Ista autem representatio quinq; potissimum modis restringi apta est: vel (1.) per fundamentum objectivum Intellectum nostrum limitans, (2.) per remotionem contradictionis, (3.) per hominis ad rem aliquam, vel Objectum, relationem, illiusq; virtutis receptionem, (4.) per nudam non-repugnantiam obedientialem, (5.) per eminentem

omnium perfectionum continentiam. II. *Aptitudo sive Habitudo ad Ideam vel universalem conceptum*: quod Subtilitatis alterum attributum ex præcedenti perspicuum evadit; quippè si ea repræsentari debet, certè per Ideam repræsentetur, necesse est; cum rei, ut tali, mentem nostram vel sensum ingredi minimè sit integrum, nisi eandem *Intellectus* (non quidem intuitivè, ut Philosophi loquuntur, sed per actum reflexum) cognoscat, atq; ita à rebus legitimè mensurari dicatur. Quæ duæ *Subtilitatis Affectiones* seu attributa, licet in aliis quoque *Disciplinis* inveniantur; in iisdem tamen affectionum vicem non sustinent: sed præsupponuntur tanquam *Principia*, quibus earundem cognitio necessariò dirigenda venit. Hoc enim minimè vel novum vel absurdum est, quod, pro diversa considerandi ratione, una res modò possit esse *principium* in hâc *Disciplina*, modò *affectio* in alia. Prætereà, quoad quartam objecti notam, *Modos habet, per quos contrahi vel limitari aptus est*, videlicet subtilitatem in re, & in mente respectu rerum: Hæc dicitur *subtilitas coram mente* repræsentata, cui repræsentationi *Habitus* in mente successit; Illa vero est, quæ h. l. contrahenda venit per *speciales modos*, quales sunt: *Subtilitas rerum necessariorum in contemplando res theoreticas; & contingentium in cognoscendo res Practicas effectivasq; , nec non constituendo notiones secundas.* Sed dictorum modorum sufficientiam desideras? en habe: Verū est & ἀψευδές, omne quodcunq; est, referri vel ad Deum, vel inter se invicem; ad Deum quidem: sed non eodem modo, verū ut vel θεωρία vel πράξις, vel ποιήσις, quæ γνώσις præsupponit, subiaceat, vel his omnibus facilitate succurrat & inserviat: Inter se verò vel secundum communem rerum affinitatem, vel secundum modum affinitatis eminentem; ex priori primus subtilitatis modus fluit, ex posteriori alter suboritur: atque ideò sufficientes sunt, quippè nihil in naturâ rerum invenire licet, quod non ad alterutrum reduci fiet accommodatum. Nec demùm, quoad quintam notam, cōceptus iste (*Subtilitas*) in ulla alia *Disciplina* est (I) *Principium*, uti vel ex dictis est ἐπίδηλον; quū ipsa *Subtilitas* modum eruendi cognoscendiq; *Principia* præceptum ear. Et si vel maximè concederemus, illam in *Disciplina* quadam *Principium* esse,

esse, certè *Metaphysica* ea foret, oportet, præsertim cum hæc verè *Regina cæterarum Disciplinarum* haut incommodè salutetur; *Subtilitas* verò circa talem versetur, quæ penè *aurea* est, *jucundissima* & *subtilissima*, eamque ob causam non vulgarem familiaritatem ambæ inter se alere videantur: attamen in eadē haut esse potest *Principium*, quippè quæ, ut quid *respectivum*, (cujus fundamentum est proportionalitas unius creaturæ ad aliam, & ad Deum) Ente, velut quo *absoluto*, longè est inferior: *absolutum* vero *respectivo* esse prius adeoque *prestantius*, nemini est obscurum. Nec (2.) est *Affectio*; sic enim esset vel unita, quod tamen absolum, quoniam hæc Enti non nisi respectivè competat, uti dictum; vel disjuncta, quod rursus est absurdum: quia sic foret *Ens vel subtile vel non subtile*, cum posterius non detur. Nec tandem (3.) *Species* est; quia *Metaphysicæ* objectum *Ens*, per *Substantiam* & *Accidens*, tanquam per species analogas contrahitur: non autem per hanc *Subtilitatem*. Ergò sequitur: si hoc in *Metaphysica* non contingit, multò minus in reliquis *Disciplinis*, hæc longè inferioribus, adeò summam & amicam cum *Intelligentia* primisq; *Principiis* affinitatem, atq; *Metaphysica*, nō habentibus, vel *Principium*, vel *Affectio*, vel *species* erit. Ex quibus omnibus colligunt, cōceptum hunc, sc. *Subtilitatem*, quatenus ex eadē *Principia cognoscendi prima* profluunt, legitimis veri Objecti notis respondentem, *Intelligentiæ Objectum proprium* constituere; Quæ conclusio ex sequenti hæc *Majore*, conditionem Objectorum à posteriori continente, elicitur:

Quicumq; conceptus non est Principium, nec Affectio, nec Modus, nec Species in alia Scientia, & tamen suis Principiis, quibus affectiones probantur, constat, & Affectionibus præditus, tandemq; per modos limitari aptus, ille Subjectum certæ Disciplinæ constituere valet:

atqui de *Subtilitate*, quatenus ex eâ *Principia cognoscendi* fluunt, verum esse prius, hæctenus fusius probatum ivimus.

Atque sic res tota, quâ de, pro re natâ controvertunt, expediri solet; ex quibus, quænam altera sit *Differentiæ* pars, vid. *Finis*, facile est colligere, nimirum *γῶσις* seu mera *Principiorum cognitio* (quâ

(quâ satisficit desiderio mentis, prima Principia formaliter scire desiderantis) ad $\pi\rho\alpha\tilde{\xi}\iota\upsilon$ non relata. Jam, ne extra oleas, quod ajunt, vagari videamur, præsertim cum hæc altioris sint indaginis, nostrum erit, hîc subsistere & sequentia adjungere $\mu\epsilon\tau\alpha$:

1. $\Theta\epsilon\omega\rho\iota\alpha$ & $\pi\rho\alpha\tilde{\xi}\iota\varsigma$ respectu Habituum Intellectualium se habent instar Generum.
2. Intelligentia est Species & quidem specialissima, quia $\acute{\alpha}\nu\alpha\pi\tau\acute{\iota}\xi\eta\tau\omega\varsigma$ multiplicari nequit; nec per formas cõpositas contrahitur, sed solùm de hujus vel illius, eam possidentis, Intelligentia prædicatur, E. nunquam potest esse Genus.
3. Nullum æquivocum vel Objectum constituere, vel de Objecto ullâ ratione participare quit.
4. Subtilitas, prout suprâ ponebatur, non est terminus transcendens, neque Mysticus: sed Prædicamentalis, scil. ejusdem Dispositio & ordo, quo res creatæ ad se invicem & ad Deum referuntur, E. est accidens & quidem respectivum.
5. Omnis Conceptus realis sit verus per repræsentationẽ E. quodcunq̃ue non habet fundamentum in re, illud rejicitur.
6. Res in Individuis omnes, quia hæc q̃s. infinita sunt, Intellectus noster cognoscere nequit, E.
Res è statu Singularis in statum Idææ sunt deducendæ.
7. Subtilitas non contrahitur ad modum æquivocorum, nec ad modum univocorum: sed tantùm ad modum analogicorum conceptuum.
8. Intelligentia est reverà distinctus Habitus à prima Philosophia.
9. Principia prima formalitèr in Intelligentia considerantur, ut videl. eorum cognitione intensivè mens nostra perficiatur, E.
Intelligentia omninò à $\sigma\upsilon\nu\tau\eta\rho\eta\sigma\iota$ differt.

VIII. De primorum Principiorum Habitu sive IN-
TELLIGENTIA peculiaris & distincta Dis-
ciplina est constituenda totiꝫ Philosophia
insinuanda.

31

Proximis in θεωρημασι primæ Habitûs Theoretici Speciei, quæ v̄ḡs vel Intelligentia fuit dicta, vidimus, quomodo Existen-
tiam, Naturam & Constitutionem suis rationibus declaratam dent
atq; expeditam. Consequens nunc videtur esse, ut, contemptis
glandibus, quod ferunt, ad fruges tandem nos recipiamus, &
quæ de præsentī Habitu fufius hæctenus ac γενικῶς protulimus,
hâc vice recolligamus, exiisque, quasi in Compendium reda-
ctis, certam & ab aliis distinctam Disciplinam constituendam esse
probemus; quâ probatâ positaque, quid reliquis in Disciplinis
ferat utilitatis, liquidissimum faciamus. Fiet autem hoc eò me-
lius magisque perspicuum, si retentis retinendis συλλογιστικῶς,
attamen βραχίως, rem intentam repræsentemus. Sic itaque
procedimus:

I. Quodcumq; Scientiam vel mentem humanam incurrit, ita ut
eam intensivè perficiat, illud certam requirit Disciplinam, in
qua Esse suum habeat repositum. Ratio contraria impli-
cat; cum omnis notitia (præsertim habitualis, qualis
primorum Principiorum est) ad certum aliquem
Habitû referri sit apta nata. *Majorē firmâ, subsumimus:*

*Principia cognoscendi prima, formalitèr considerata, Sci-
entiam vel mentem humanam incurrant ita, ut eam in-
tensivè perficiant; Etenim eandem determinant, quan-
do videlicet desiderio ejus, quo formalem rationem
Principiorum scire desideravit, satisfecerint, uti in
Theor. sexti ἀναλύσει diximus; cujus rationem videas
apud Dn. Gutkium in Hab. Intellig. part. gen. 6. 1. Theor. 6.*

E. Principia hæc &c. certam requirunt Disciplinam, in quâ esse
suum habeant repositum h. e. quidditas eorum seu natura
fundetur.

Uterius: 2. Ubicunq; datur Objectum à reliquarum Disciplinarum
Objectis planè distinctum, distinctus item considerandi modus,

B

ibi

ibi distincta & peculiaris datur Disciplina:

atque in Habitu Principiorum primorum, sive Intelligentia, datur prius quoad utrumq; Membrum: E. & posterius.

Majoris evidentiam nemo, nisi qui forsitan τῆς ἀγνοίας ἀπώ-
σιν laboret, aut in Philosophia peregrinus sit, inficia-
bitur:

Pro Minoris perspicuitate, & quidem quoad membrum utrū-
que, vidimus præcedens θεωρημα, ex quo & subjecti
& modi considerandi ratio probari solet & seqq. id-
ipsum confirmabunt.

Stat itaque & Conclusio, quod videl. Habitus Intelligentie pe-
culiaris, & à reliquis distincta, ponenda sit Disciplina, in qua consideretur.
Quod ut manifestius evadat, ostendendum, eam cum reliquis
Disciplinis nullam fovere posse convenientiam; namque si ali-
quam cum reliquis haberet, oportet utique, foret vel Contempla-
tiva, vel Practica: sed Practica esse nequit, siquidem hujus forma-
lis ratio consistit in rebus simpliciter contingentibus, ejusque Finis
actio est; Intelligentie verò subjiciuntur res necessaria, quales sunt
Principia, quæ subtili indagine cognoscit; undè Finem habet, non
actionem, sed Contemplationem sive nudam γνώσιν, id quod adeò
est manifestum, ut non opus sit, pluribus rationum anfractibus
primùm velle evincere vel stabilire, præsertim cum nullus ad-
huc philosophantium inventus fuerit, qui Intelligentiam hanc ad
Practicum Habitum retulerit. Essetnè igitur Contemplativa? Si hu-
jus species tantùm duas agnoscis, nempè Scientiam & Sapientiam,
(quarum hæctenus tantùm certæ constitutæ sunt Disciplinae)
dicimus, quod non; quippè hæc ad neutram illarum quit reduci:
non ad Scientiam, cum ea non ipsa Principia, formaliter talia, con-
sideret, quemadmodum Intelligentia: sed certas duntaxat ἀποδεί-
ξεις seu Conclusiones ex iis collectas respiciat (undè & per ἐξίω
ἀποδεικτικῶν definitur, & earum tantùm rerum est, quæ de-
monstrari aptæ natæ sunt); si etiam ejusdem Disciplinas, Physicam
sc. Mathesin & πνευματολογία respiciamus, sanè videmus, nulli
earum præsentem hanc adjungi posse; & priorum quidè neutri,
siquidem Principiorum non datur Quantitas, circa quam tamen
illæ

illæ, licet diversimodè versantur; neque *πνευματολογία*, quæ à quibusdam *Theologia naturalis* indigitatur: Quæ enim foret confusio, in Spirituum Doctrina de Principiis cognoscendi formaliter agere, in quâ potius ex cognoscendi Principiis aliquid probatum imus, quàm ut eadem consideremus. Sed neq; ad *Sapientiam* est reducenda; ejus namq; Disciplina est *Metaphysica*, aliis *Prima Philosophia* dicta, quæ *prima cognoscendi Principia* formaliter non considerat, sed generalem Entis, quæ Entis, *Ἀπόσπερμιον* instituit, πρὸς ἀποδείξεις Principiis saltè junctas attendens, quibus qs. Leges cæteris Disciplinis proponit obeundas. Quod si verò *tertiam* adhuc *Cōtemplativæ adjunctam speciē* concesseris, videl. *Intelligentiam*, à cæteris tamen maximè distinctam, uti ad ravim usq; demonstratū, tunc lubentes largimur, ipsam esse *contemplativam*, formaliter dicta *Principia* solùm considerantē, proprio Objecto distinctoq; cōsiderandi modo constantem, qualis jādū à *Clariss. illo Philosopho Dn. M. Guickio* est exhibita, & jam Studiosorū manibus teritur. Hęc cū ita sint, nullum planè erit dubium, quin eadē Disciplina suam ferat utilitatem homini *Φιλοσοφῶντι* accommodatissimā: *ἐκ θεωρητικῶν γὰρ πάντα διδασκαλία*, inquit ipse Philosophorum Princeps *l. 6. Eth. c. 3*. Et ut h. l. ea silentii velo regā, quæ subtiliter de *παιδείᾳ* sive (ut eam nonnulli salutāt) *Disciplinarū Prudentiā* aliisq; gravissimis rebus præcipit, quæ omnia nemini non quā maximè scitu sint necessaria atq; utilia, quis est, qui ignoret? majorē adhuc usum præbet in decidendis ex fundamento Cōtroversis, de quo videre licet apud prædictū *Dn. Guick.*, facē sententiæ huic præferentem clarissimā in *H. l. part. spec. c. 8. theor. 4*. Quid verò jādū jucūdius meliusq;, quàm videre ea, quib; neglectis Hæretici labuntur, quæve cognoscere Majores nostri noctu dieq;, studiis assiduis, intédere? Nos ejusmodi Disciplinā, infinitis ferè modis ipsā sese cunctis commendantē, optamus, & magnificiemus, si *talis Habitus* aliquantò accuratiore curā conscriberetur, quò indè ad alias longè difficiliiores & à sensibus nostris remotiores cōmodius rectiusq; accedere valeremus; Et sanè erit, quod Deo Opt. Max. pro ejusdem revelatione gratias, quas possumus, ingentes atq; dignas reponamus. Atq; hæc de primā *Habitus Theoretici speciē, INTELLIGENTIA*, dixisse sit satis. Co-

ronidis loco ex ultimo hoc primi Membri Theoremate profu-
entia ponamus *περίσματα* :

1. Absurdum est, aliquid sciri posse, nec tamen referri ad aliquam Disciplinam.
2. Iniquè agunt illi, qui omnem rationem humanam & Intelligentiam extirpare conantur; eò ipso enim ipsam Philosophiam absolutè damnatum eunt.
3. Reperitur Contemplatio iis in rebus, quæ *περὶ ἅξιν ἢ ποιήσιν* omnem respuunt.
4. Principiorum nulla est demonstratio; implicat enim, esse Principia & posse demonstrari, E.
Invictæ est sequelæ, quod Principiorum notitia non sit Scientia.
5. Intelligentia cū Sapiencia non est confundenda. Cōpetit quidē Intelligentia Metaphysicæ: sed non sub formalitate Intelligentiæ, sed Sapienciæ, quæ Intelligentiā ita idealitè penetrat, ut amplius non sint Intelligentia & Scientia sub propria sua formalitate, sed sub alienâ, scil. Sapienciæ.
6. Utilitas multijugis ac Jucunditas maxima ex Intelligentiæ *θεωρητικῆς* in Philosophum derivatur.
7. Intelligentia omnis Cognitionis humanæ est fundamentum, adeoque ad cæteras Disciplinas omnes maximè necessaria.

MEMBRUM SECUNDUM

DE

S C I E N T I A.

IX. Ex præcedente Principiorum cognitione Demonstrativa quedam SCIENTIA profluit, quæ Conclusionum Habitus denominandus.

Lubentes, ita ordinis lege jubente, prolabimur ad alterā *Habitus Intellectualis* Speciem, cui non absq; rationis incitamento validiori SCIENTIAM insinuamus, non tam ejus Dignitatē, (digniorē namque istā Sapienciam esse, de quâ in Membro tertio dicendum, nemo facilè, qui modò rationalitate suâ, quâ præditus, rectè

rectè utitur, ibit inficias; quippè quæ propter proprietates, quibus omnes alias *Habituum species* antecellit, *Regina omnium* saluatur) quàm intimam à *Principiorum Habitu*, de quo hætenus uberius, dependentiam attendentes. Sic enim Aristoteles in libro primo posterior. Analytic. *πᾶσα διδασκαλία, inquit, καὶ πᾶσα μάθησις ἐκ προῦπαρχήσε γίνεται γνώσεως*; cuius Dieterii *Subiectum* reverà de *demonstrativæ Conclusionis Scientia*, quæ d. l. *Δεικνυτικὴ μάθησις* appellatur, agit; *Prædicatum* verò de *Principiorum Cognitione* loquitur: ut sensus sit, *omnem Scientiam, quæ Conclusionis Habitus rectè dicitur, non nisi ex præcedente Principiorum cognitione acquiri*; ἐπεὶ δὲ δεῖ πισθεῖν τε καὶ εἰδέναι τὸ πρῶτον, τῷ τοῖστων ἔχειν συλλογισμόν, ὃν καλεῖται ἀπόδειξις. ἔστι δ' ἔτι ὅτι τῷ τὰ δ' εἶναι, ἐξ ὧν ὁ συλλογισμὸς, ἀνάγκη μὴ μόνον προγνώσκων τὰ πρῶτα, ἢ πάντα, ἢ ἕνια, ἀλλὰ καὶ μάλλον. αἰεὶ γὰρ δι' ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκείνο μάλλον ὑπάρχει. οἷον δι' ὃ φίλον, ἐκείνο μάλλον φίλον. ὡς εἰπὼς ἰσχυρὸν Διὰ τὰ πρῶτα καὶ πισθόμην, καὶ κείνα ἰσχυρὰ τε καὶ πισθόμην μάλλον, ὅτι δι' ἐκείνα καὶ τὰ ὑστερον. Hæc Philosophus d. l. cap. 2. Nec ratio nobis deficit; quippè in iisdem *primis h. e. principiis* statim *Conclusio* potentiâ inest, ità ut, *Cognitis principiis, Conclusio potentiâ cognoscatur*, quæ vel ipsa ultrò exindè fluit. Jam ignotum nemini, quod transitus iste, qui fit *de potentia ad actum*, annuentibus omnibus, sit possibilis; non enim diceretur aliquid esse *potentiâ*, nisi & *actu* esse foret aptum natum. Quis ergò inficiabitur, possibile quoque esse, ex *Principiorum cognitione* suppositâ posse perfectam *Conclusionis Scientiam* acquiri? namq; *per demonstrationem* scire, quid aliud est, quàm *Conclusionem* fieri actu cognitam ex cognitâ potentiâ, quæ, aliàs imperfecta & potentialis saltem in principiis suis, præcedens perfectam *Scientiam* producit. Hic igitur est modus iste, quo datur *acquisitio Scientiæ*; & hoc est, quod suprâ, Memb. I. Theorem. 6, Zabarellâ interprete, diximus: *dum ignoramus, qualenam sit Principiorum cognitio, necesse est, ut & de Scientia Demonstrativa dubitemus*. Verùm, stante jam *Principiorum Cognitione* firmâ, & ipsam *Scientiam*, tam quoad *Existentiâ*, quàm quoad *Essentiâ* dari, indubitatæ sit veritatis. Nec com



moveat nos eorum ἀσέλγεια, qui, cavillo utentes sat subdolo, contrā probare adnituntur, *Scientiam* hanc, vel quoad suam *existentiam*, prorsus non dari; vel quoad *Essentiam* suam cum *reminiscentia* confundi: quod utrumq; sanè nostræ adeoq; ipsius Aristotelis menti valdè dissentaneum videtur, quocunque etiam Veritatis prætextu palliatur. Et primam quidem Sententiam quod attinet, eam non tantùm olim, Aristotelis ætate, *Protagoras*, *Heraclitus*, *Cratillus* & *sophistæ* alii fovebant: sed & moderno tempore ipsi *Ramistæ*, istorum errores ab inferis revocantes, ex inficiatione *Demonstrationis* stabilire non verentur. Quemadmodum enim illi non distinguendo intellectivam notitiam à sensitiva, neque in rebus Universalia esse assentiendo, errorem istum adeò turpissimum erravere: sic hi etiam, *Demonstrationem* improbando, ipsam *Scientiam*, ut istius consequens infallibile, admittere qui valuere? Ast hîc miremur, ad persuadendam rerum ignorantiam, tam inanem veterum Philosophorum conatum, cùm tamen ipsi in consequendâ Scientiâ omnigenâ noctes diebus conjungerent! Quid profuit *Scepticus* tot labores in per-vestiganda rerum veritate pertulisse, si de quâcunq; re proposita mentem suam aperire non audebant, sed ancipites semper & paribus librati ponderibus in omni re manerent? Nobis ejusmodi frivolam opinionem hac de re saltem enarrâsse sufficeret, cùm, quæ certitudinis laus ipsi tribuenda, è dictis jam perspectu sit facillimum; Interim quia nihil tam est absurdum, quod non aliquâ ex parte sub veri velamento incautos possit decipere adeoq; à vero veritatis tramite abducere, lubet unam atque alteram, quæ nobis Achillis instar aliarum omnium, illis reponere & insinuare:

I. *Contra pristinos istos Philosophos*, adeò perversè *Scientiam* rerum impugnantes & dum sciunt comprehenduntq;, nihil sciri aut comprehendi posse, propriam *Scientiam* denegantes:

Si dantur omnia, quæ ad Scientiam stabiliendam pertinent, maximè utiq; datur Scientia: sed dantur omnia &c. E.

Quæris jam, quænam sint ista, cùm prius membrum tibi, ut evidentissimum, probetur, de quibus posterius loquitur? Scias, ad
omnem

omnem Scientiam tria vel maximè requiri, docente Philosophorum summo Principe: 1. *ὑποκείμενον γένος* h. e. Subjectum scibile, idq; perpetuum & necessarium, 2. *παθή* h. e. Affectiones, quæ de illo, uti insunt, demonstrantur; & 3. *δέχαι* vel Principia eaq; proxima, per quæ demonstratur. Jam verò datur ejus Subjectum, quale sunt e. g. Corpora universalia, nec non Substantia separata, quibus inest compositio aliqua, vel ex subjecto & accidentibus, vel ex materia & forma &c. præterea dantur & Affectiones ejusdem, quæ de subjecto suo demonstrantur v. g. *Quantitas, Motus, Locus, Tempus &c.* de forma, corpore; dantur denique Principia sat probata v. g. *omne materiatum est quantum; omne quantum habet partes extra partes, quicquid habet partes extra extra, illud est in loco &c.* Manet ergò & firma Conclusio, quæ erat, reverà dari Scientiam; nec opus habere videtur, pluribus ista ut confirmetur mediis, quippè quæ infinita ferè & recensu impossibilia.

II. Contra posterioris generis homines argumentatur Rever. pl. & Excellentiss. Dn. D. Jacobus Martini in Institut. Log. lib. 5. c. 1. ex Philosophi textu lib. 1. post. Analyt. c. 1. 3. & seqq. ita:

*Datur processus à necessariis notis ad necessaria incognita: E.
datur Demonstratio & p. c. Scientia.*

Quam argumentationem, cujus antecedens Propositio suâ luce patescit, & ex subseqq. manifestior evadet, infringant Sophistæ, si possint.

Ad alteram jam, à nostrâ vel maximè alienam, adversariorum mentem inspiciendam progrediamur, quâ Scientia ipsa de medio non tollitur, interim modus sciendi, qui ab Aristotele est excogitatus, negari videtur, quando nempe ex Platone in Dialogo de Scientia & Virtute sub Menonis persona, Academici quidam pro certo & explorato habuere, nihil à nobis disci posse, nisi idem prius eodem modo, quo discitur, cognitum nobis fuerit, cognitione scil. perfectâ; adeoq; *scire nostrum* nihil esse aliud, quàm quoddam *reminisce*, quippè animas nostras incho omnibus Scientiis fuisse instructissimas, quæ progressu temporis sese per corpora diffuderint. Cui ut ex assensu fiat, antequam ipsius Aristotelis mentem subjungamus, pauca & quidem ipsi Experientia

rientiæ consentanea præmittamus: Etenim si *animus noster* initio rerum *Scientiam* habuit insitam, quæ postea, dum in corpore est, per *Disciplinam*, *Informationem* & *exercitationem* que *remiscitur*, quæ fit, ut nemo, vel priusquam addiscat *Scientia*, aliquo modo meminerit, se quondam illas tenuisse & per oblivionem amisisse; vel postquam *Scientias* didicit, eas tanquam antè cognitæ & perceptæ recognoscat? Deindè, si *mens nostra* haberet naturalitèr sibi insitas *Scientias* rerum quarumcunque, non adeò laboraremus pro iisdem acquirendis, non tam sæpè falleremur, nec nobis adeò propria foret *Ignorantia*. Quod enim per se & naturalitèr alicui inest, illud non potest mutari in contrarium; nec, quod naturâ est ingeneratum, ullâ consuetudine tolli videtur, ut licet quis vel millies *Lapidem* sursum jactaverit, nunquam tamen assuescet per se sursum tendere, propter naturale pondus & gravitatem inditam. Ulterius: si *Scientia* saltem esset ἀνάμνησις h. e. *Reminiscencia*, non adeò essemus indifferentes ad *Scientiam* & *Inscitiam*, nec ad varias de eâdem re *opinionem* declinaremur: sed definitè magis parti veræ addicti maneremus &c. Jam audiamus *Aristotelem*, qui, ut diluat *Reminiscenciam*, insurgit d. l. dicendo, quod scilicet omninò de novo *Scientiam* rei alicujus acquirere valeamus, quam licet antea nunquam noverimus, ad eamque præter *Scientiam* perfectam & perfectam *Ignorantiam* (quas illi saltem sine medio supponebant) detur medius quidam *Cognoscendi modus*, quæ dicitur *confusa*, *imperfecta* & *potentialis cognitio*, à quâ tandem ad plenam perfectamque *Scientiam* transitus datur, tanquam à potestate ad actum; ut ita ejus nulla sit consequentia, quod vel nihil discamus, vel illud idem, quod prius novimus: siquidem id novimus *Cognitione universali*, *potentia* & *confusa*; idem autem discimus *cognitione distincta* & *particulari*, quam prius non habuimus. Hæc de *Existencia Scientia* dicenda erant. Cur autem ea *Conclusionum Habitus* denominandus, è dictis sufficientissimè inquirenti responderetur. Jam de iis, quæ circa ejusdem *Essentiam* attendenda, in sequenti *Theoremate* ἐν Βεβαίῃ attingamus: supponimus autem pauca προϋποθέσειν:

I. Ex præcedente cognitione diversus comparatur *Habitus*;

alter

- alter enim est *Principiorum*, qui fit ex præcedente cognitione particularium, & acquiritur per Inductionem; alter *Conclusionis*, ex præcedente cognitione Principiorum per syllogismum demonstrativum acquisitus, E.

- Cognitio Principiorum, & Conclusionis non est eadem.
2. Sublatis Principiis primis tollitur Scientia demonstrativa.
 3. Eorum, quæ cognoscuntur, alia confusè & universalitèr, alia distinctè & adjuncto particulari cognoscuntur.
 4. Qui actu tenet universale, is potestate cognoscit particulare istud, quod universali illo includitur.
 5. In Scientia una vel certa solius Subjecti, non principii, unitas postulatur.
 6. Falsissimum est, nihil constans dari, sed omnia continenter fluere; Ratio: si cuncta fluunt continenter, debet dari causa constans & firma illius constantis & firmæ fluxionis. Insuper Sophistæ vel sciunt, dari Scientiam, vel non sciunt: si sciunt, datur utiq; Scientia: si non sciunt, carent ratione & fide.
 7. Identitas rerum duarum requirit inter alia, ut temporis intervalla sibi invicem correspondeant, E.
Scire & reminisci non est eadem res, quia intervalla temporis discrepant. Scimus enim præsentia & interdum futura: Reminiscimur autem præterita.
 8. Non dicitur aliquid præexistere potestate, nisi aliqua ejus pars præexistat: si enim nihil præexistat, non dicitur posse esse, cum ex nihilo nihil naturaliter fieri possit.

X. *SCIENTIA est Habitus Intellectualis Theoreticus simplex, Conclusionem necessariam inferens ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus & causâ Conclusionis.*

In præcedentis Theorematis *ex Jert* inter alia diximus, quod omnis potentia naturalitèr appetat suum actum, cum se habeat tanquam perfectibile ad perfectivum: Id ipsum & hoc loco expositum imus exemplo *Intellectus & Scientia*; siquidem *scire*

F

perfe,

perfectio quædam & actus est *Intellectus*, qui eam ob causam tam varia excogitavit *Principia*, ut perfectionem suam, ad quam naturaliter intendit, eò citius assequatur: quod etiam ipse vult Aristoteles, qui libro I. *Metaph.*, ἐν παρῳδῳ statim, ita ait: πάντες ἀνθρώποι τὸ εἰδέναι ὀρέγονται φύσει, q. d. omnes homines internā quādam animi commotione *Scientiam* expetunt & desiderant, imò adeò, uti Cicero loquitur, *flagrant*, ut famem & sitim perferant, modò aliquid sciant; quod in pueris compertum habemus: quippè hoc se verè ab irrationalibus animalibus distinctissimos vident. Cum ergò id in veritate ita sit, non immeritò inquirere licet, *quidnam sit* ejusmodi mentis delectamentum, quod nemo non adeò calidè anhelat; Istud impræsentiarum hoc *in sup. posito Theoremate* per *Definitionem* exhibuimus, quæ ut eò rectius percipiatur, cognovisse prærequiritur, quid sit ipsum *Scire*. Hujus enim vocabuli cognitio, quamvis per se non perfectam rei ponat quidditatem, nihilominus quandam insinuat perspicuitatem, ut ita præmittenda omninò videatur, ne in ignotā sylvā, quod ajunt, versemur. Notum verò est omnibus, & τὸ *Scire* & *Scientiam* indistinctè ab *Aristotele* in scriptis suis usurpari, qui tamen vocis *Scientia* non existit autor, sed *Zeno* (referente *Tullio lib. 1. Acad. quest.*) potius, *Princeps Stoicorum*; hic enim omne id, quod ita fuit comparatum, ut nec ratione ullā convelli vel refutari posset, *Scientiam* indigitavit, dubio procul Græcum *Ἐπιστήμη*, ὅθεν τὸ ἐπιστάθην, à statuo scil. dictum, attendens, quod nempe *Scientis* animus muri instar lapidei perstet & consistat, cùm *dubitantis* contrā motus sit incerti, & modò huc, modò illuc vacillet. Describit autem dictum vocabulum *Philosophus noster* (lib. I. post *Analyt. cap. 2. t. 7.*) hoc modo: *Ἐπιστάθην οἰόμεθα ἕκαστον ἀπλῶς, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τινὲς τὰ αἰτία οἰόμεθα γινώσκειν δι' ἢ τὸ πρῶτον ὅτι ἐκείνη αἰτία ὅτι καὶ μὴ ἐνδέχεται τὸ ἄλλως εἶναι.* Ad quam descriptionem nostram quoque *Definitionem* referamus, ejusq; partes singulas brevi examine perlustremus, modò vocē ipsam ab ambiguitate, quā polluta, prius vindicaverimus. Generatim itaq; loquendo accipitur *Scire* vel (ut usitatius asservemus) *Scien-*

tia variis modis: 1. Latè & impropriissimè vel (1.) pro actu sciendi
 transeunte, omniq; Intellectûs cognitione sive cerâ sive proba-
 bili, (2.) pro quâvis Doctrinâ methodicâ, quæ sub Scientiam cadit.
 (3.) pro solâ certâ Intellectus cognitione, sive illa sit infusa, sive ac-
 quisita, sive per causam sive non; atque eo modo omnes Intelle-
 ctuales Habitus complectitur; in quâ etiam acceptione ab *Aristo-*
tele 8. Topic. cap. 3. in *ἡγενητικῶν, περὶ αὐτικῶν καὶ ποιητικῶν* distri-
 buitur. Sumitur 2. Strictè; interim vel (1.) adhuc improprie pro
 solo & universo Habitu Theoretico, contradistincto ab Habitu, ad
 actionem & effectiorem directo; quâ ratione non solum *Physi-*
ca, Mathesis & Pneumatica, sed & *Intelligentia & Metaphysica*, prout
 in animo existunt, *Scientia* salutantur. Quo modo, probabile est,
 illam sumfisse *Philosophum in Metaphysicis*, quando ait, *Scientiam*
 debere considerare causas per se h. e. *ἡγενητικῶς* sine relatione
 ad opus. (2.) Magis proprie pro solo Habitu, *Demonstratione compara-*
to, contradistincto à *Sapientia*: in qua significatione *Physica, Ma-*
thesis & Pneumatica sunt tantùm *Scientia*, de quibus in specie pau-
 cula in seq. Theoremate acturi sumus. Erit igitur hæc ultima
Scientia acceptio sola hujus loci; In quâ jam acceptam *Scien-*
tiam definivimus per *Habitu Intellectualem Theoreticum*, ad in-
 nuandum ejus *Genus* trinæ *Habitus Intellectuales speciei* conveni-
 tissimum maximeq; proprium, quemadmodum id ostendimus
 suprâ in *explicatione Theorem. 7.* additur autem *simplex* ad differen-
 tiam à composito uno, qui est *Sapientia*. Acquiritur autem ea
 præcipuè *διδασκαλία* crebrisq; exercitiis, quæ aliàs & in cæteris
 meritò requiruntur; in animo enim addiscentis varia conspi-
 rant, & *agens principale, & Instrumenta nonnulla*; Illud est *mens hu-*
mana ejusq; *ratio*, quæ, ex bona Informatione præcessâ, ipsa cõ-
 siderans, judicans atq; ex uno aliud colligens per iteratas actio-
 nes *Habitu* producit; Hæc verò iterum sunt varia, quippè & *Li-*
bri, & Informatores, & Sensus &c. ipsi inservire dicuntur: prima-
 rium autem eorum, ad acquirendam perfectam *Scientiam* per-
 tinens, est *ἀπόδειξις* vel *Demonstratio*, quæ, definiente *Philosopho*,
 nihil aliud est, quàm *συλλογισμὸς ὀπισθημονικὸς ἐξ ἀναγκαιῶν*;
 Etenim ita rem edocere, ut proxima & vera causa adhibeatur,
 quâ neminem non planè reddat *ἀμετάπρωτον καὶ ἀμετακίνητον*

non cujusvis argumentationis est, sed illius, quam *ἀποδεικτικῶς* appellamus. Hoc Instrumento jam comparata *Scientia* ultrò, quod ipsius *Demonstrationis* munus est, assumit, & *Conclusionem necessariam* exhibet, certis *Conditionibus* inventis adhibitisq; quibus ab aliis cognitionibus separetur: Harum autem, supra allegato loco, *Aristoteles* duas tantùm enumerat, quarum una in istis verbis consistit: ὅταν τὴν αἰτίαν οἰώμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρῶτον γινώσκον ἐκείνη αἰτία ἐστίν; quæ *Conditio* est respectu rei scibilis, ut cognoscamus rem per causam, propter quã est, & includit sequentia tria, quorum quodlibet singularem vicissim cognitionem constituere est aptum: 1. *Ut causa cognoscatur*; hæc n. excluditur omnis *notitia* ea, quæ non est per causam, qualis est *Principiorum*, quæ per seipsa cognoscuntur, quemadmodum in *Membro primo* hujus *Sectionis* demonstravimus. 2. *Causa cognita sit proxima*; cum aliàs unius rei plures possint esse causæ, quarum quædam sæpius remotissimæ, per quas perfecta rei *Scientia* minimè habetur; ad illas igitur excludendas adjecit *Aristoteles*: δι' ἣν τὸ πρῶτον γινώσκον, h. e. à qua res esse suum habet; præter proximam enim nulla alia est *causa*, quã posita *effectus* certò inferatur; ideoq; ea ista sola est, quæ quæstioni διότι, cujuscunq; sit generis, satisfacit. 3. *Causa cognoscatur, quæ, est illius rei causa*, h. e. respectu *effectus*, non secundum se duntaxat. Altera ex hisce verbis colligitur: καὶ μὴ ἐνδέχεται τὸ αἰτιώμεθα ἄλλως ἔχειν, estq; in *Scientis* animo, & ejus certitudinem respicit, quæ omninò firma esse debet, ne amplius unquam audiat illud: τὸτό μοι ἔτιος φαίνεται; sed potius illud: hoc necessario veram est, nec aliter se habere potest; quia *Scientia animi habitus* est, qui omni dubitatione expers esse dicitur, sicuti id satis est ostensum. Verum enim verò altius à nobis indaganda res est, nec non tam ejus *forma*, qua scil. producitur *Scientia*, (qualis hisce jam positis *Conditionibus* saltem innotuit) quàm *materia* h. e. *Principia*, ex quibus *necessaria Conclusio* inferri debet, venit attendenda; cujus requisita ut plurimum sex à Philosophis constituuntur, uti ea etiam in data *Definitione* observavimus, scilicet ut *Principia* sint 1. ἀληθῆ, vera & quidem necessario, hoc est, quemadmodum de iis *Logici* in *Doctrina de Demonstratione* loqui solent, καὶ παντός, καθ' αὐτὸ καὶ καθόλου πρῶτον.

πρῶτον. Illius n., quod est, ex iis, quæ non sunt, nunquam comparabitur *Scientia*. 2. πρῶτα *prima*, tam ratione ordinis quam cognitionis h. e. ut à priori ne queant demonstrari, ne progressus in infinitum admittatur. 3. ἀμεσα, *immediata* h. e. æquè ἀναπόδεικτα, inter cujus Prædicatum & Subjectum nullum est interpositum medium, quod sit causa inhærentiæ Prædicati in Subjecto. Et hæc genuina est expositio vocabuli τῶν ἀμέσων, quod potissimum in *majori Propositione* requiritur ἐκ τῶν ἀναγκαιῶν; siquidē non propter *minus* sed propter *majus extremū*, cujus scilicet causa est, adhibetur, undē cum eodem (*majori extremo*) immediatē conjungitur: Verūm in *minore* non ita ubique, nisi κατὰ συμβεβηκός. Sint 4. πρῶτα, *Priora* & 5. γνωριώτερα, *notiora Conclusionis*. Ubi observandum est, *Priora* & *notiora* ab Aristotele sumi dupliciter; sunt enim talia vel πρὸς ἡμᾶς vel ἀπὸ λῶς ἢ τῆ φύσει. Illa dicuntur, quod *Sensibus* sint propinquiora; Hæc verò, quod ab illis longius distent & naturæ ordine procedant. Jam quod ad *Principia*; Illa, ad inferendam ἀπόδειξιν necessariam, non tam πρὸς ἡμᾶς, quàm τῆ φύσει, & *priora* & *notiora* esse præsumuntur, quippe quæ maximè *universalia* esse debent & distinctè cognosci, minimè verò confusè: quod fit, si à *Sensibus* remotiora fuerint; cum ea, quæ πρὸς ἡμᾶς, nobis, duntaxat *priora* & *notiora* sint, ut *particularia* & *Sensui* propinquiora. Deniq; 6. sint αἰτία τῶν συμπροσμάτων, *Causa Conclusionis* h. e. causam proximam, tam in essendo quàm cognoscendo, in se contineant, quâ Prædicatum *Conclusionis* de Subjecto demonstratur. Et per hanc *Conditionem* prior confirmatur: Si *Principia* sint *Causa Conclusionis*, utique hæc *priora*; ratio hæc est: quia *omnis causa naturâ prior est effectu suo*. Quod verò *Principia* reverà sint *Causa Conclusionis*, demonstratur ita:

Tum demum rem perfecte scire dicimur, quando eam per causam suam cognoscimus:

at per *Principia Conclusionem* scire intendimus, E. *Principia* ut *causa Conclusionis* sint, necessum erit.

Nisi enim hæc verè *Causa* fuerint, non fit *Scientia*; hinc contingit, ut multa & *priora* & *notiora* aliquâ re sint, nec tamen illius *causæ*, & p. c. *Scientiam veram* non constituent. Et hæc sunt istæ *Principio-*

cipiorum Conditiones, ad Scientificum Syllogismum constituendū sufficientissimæ, quippè quibus hic ab aliis est separatus: namq; quod habeat *Principia vera*, in hoc distinguitur ab illis, qui falsis & contingentibus constant; deindè quod ea sint *prima & immediata &c.*, in eo separatur non à Dialectico duntaxat, sed ab ea quoque Demonstrationis specie, quæ fit à causa remota: hæc enim *majorem Propositionem* admittit demonstrabilem; & licet sæpè ex *veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus & Conclusionis causis* colligatur, attamen ea non sunt reverà naturâ talia, nec *cause essendi*. Earundem igitur *Conditionum* enumerata collectio soli isti *Scientiæ*, quæ *ἀποδεικτική* est, tantùm competit; ut sine quibus *Scientia* propriè non est denominanda, nisi per accidens; quod pluribus ostendere nobis foret facillimum, si necessitas id efflagitaret. Sed satis quoq; de *Scientiæ*, quoad *Essentiam*, constitutione dictum esto! *περίσματα* hinc fluunt talia:

1. *Scientia* est sciri *Scientia*; quippè omnis cognitio terminatur in rei alicujus certæ notitiâ & apprehensione.
2. *Scientia* est unive(salium, E. non sufficit, unum aliquod singulare cognovisse in contemplatione *Scientiarum*.
3. *Scientia* docentis, ut agens principale ad formandam *Scientiam*, in addiscente producit *Scientiam*; sed tanquam Instrumentum ei offerens judicanda & comprehendenda.
4. Per causam simpliciter proximam tantùm fit Demonstratio, & oritur *Scientia*: propter hanc enim res propriè est.
5. Conclusio per Demonstrationem sciri non potest, nisi cognitis iisq; reservatis omnibus *Principiorum* conditionibus.
6. Ex falso, quæ falso, non nisi falsum colligitur, E. quia falsum sub *Scientia* non cadit, foret enim contradictio in adjecto, utiq; ejus *Principia* nihil falsi contineant.
7. Progressus in infinitum in propositionibus non est admittendus, E.

Prima Demonstrationis Principia debent esse imme.

8. Pro-

8. Propter quod unumquodq; tale est, illud est magis tale, E.
Principia prima Conclusionem sunt notiora.
9. Medius terminus est causa majoris Extremi, E, Principia
sunt causa Conclusionis.

XI. *Rerum simpliciter necessariorum certa ac distincte ponenda sunt Discipline, quae SCIENTIAM tanquam Genus proximum agnoscant.*

Consideratis jam & pro vi ingenii examinatis Principiorum requisitis ad Scientiae Habitum constituendum vel maximè necessariis, Instituti ratio postulat, ut & Disciplinas illas, hunc Habitum unicè ingredients, à se tamen invicem distinctas, paululùm perspiciamus. Verùm adhuc aliquid hoc loco præmittendum videtur, ad horum θεωρημάτων majorem perspicuitatem exponendam non parùm faciens, ne Philosophici illius Ἐργαγματῶν, quod libro tertio Politic. cap 8. legitur, immemores arguamur: τὸ πρὸς ἐκάστῳ μέθοδον φιλοσοφῆν οἰκείον ἴσθι τὸ μὴ παρεργᾶν, μηδὲ προκαλείπειν, ἀλλὰ δηλῆν, τὸ πρὸς ἕκαστον ἀλήθειαν. Cùm enim secundum commune Philosophorum suffragium Cognitio nostra non semper Scientiâ, sed interdum Opinione saltem vel Fide constet, siquidem, teste experientiâ, in plurimis, nobis aliquantulùm abstrusis, propter inhærentem τῆς ἀγνοίας ἀδυναμίαν, ad perfectam Scientiam pervenire non licet, ubi haut rarò opinione contenti, vel in aliorum autoritate, nisi multa ignorare velimus, sæpè acquiescere tenemur, & ita opinando credendoq; aliquid verum putamus, cùm tamen reverà istud longè sit aliter. Quæritur ergò haut immeritò i. de δόξῃ vel opinione, num ea pari ratione cum Scientia sit certa atq; firma, cum ferè potius opinione, quàm Scientiâ duci nos videamus? Ad quod respondemus distinctè, scil. contingere quidem sine absurditate, ut utraq; ejusdem rei esse queat, videl. secundum Subjectum, non secundum formam h. e. in diversis hominibus, quorum unus scit v.g. *stellas moveri*, quia novit hoc esse necessariũ, nec posse aliter se habere: alter opinatur, quia putat, ita istud verum esse, ut possit etiam non esse. Firmior tamen Scientia manet Opinione, sive

sivè modum sivè *Subiectum* earum attendamus; quoad hoc quidem: siquidem *Scientia* rerum necessariarum & ἀπλῶς certarum est; opinio verò contingentium magisq; dubiarum quàm certarum; adeoque illa Entis tantum, hæc verò & non Entis videtur esse: quoad illum autem, est *Scientia* immutabilis, *Opinio* mutabilis; *Sci-enti* enim est persuasissimum, rem se aliter habere nō posse, cū contrā *opinanti* omnia aliter se habere posse videantur. Ut ita, quemadmodum muscerda piperi admixta, licet quoad externā formalitatem inter se conveniant, uti *vulgare proverbium* sonat, ipsum piper nunquam fit aut pro eo habetur, nec *Opinio*, licet certa & *Scientiæ* proxima appareat, unquam cū *Scientiā* indistinctè stare potest: sed potius ipsi manifestò opponi videtur. Interim ex hisce nondum sequitur, ac si id omne, quod *Opinione* cognoscimus, falsum foret, etiamsi necessitatis gradus designatos excludat. Habet utique illud suam evidentiam, non tamen in comparatione ad id, quod *Scientiā* novimus, uti hoc in propatulo. 2. *De Fide*, quæ ex suppositatâ *Autoritate* oritur, quando scil. alteri probato auctori, vel affirmando vel negando verum, statuenti, ascensum præbemus, quæri potest, quæ cum *Scientiā* conferri queat, siquidem & ea pro fine *Cognitionem* habet. Ubi hoc quidem certum est, & *Fidem*, γενικῶς consideratam, *Habitum* dici; notitiam quippè in nobis parere æq; apta videtur: Interim isti *Scientia* longè est præferenda, utpotè quæ certior est, ut & *Autoritati* Ratio; magis namq; alicui rei, ad oculus quasi aliquid demonstranti, quàm quæ ex parte incerta & dubia prorsus, innitendum nobis. Notandum tamen benè, hîc non de ea *Fide*, quæ *Autoritatem Divinam* pro fundamento habet, nobis sermonem esse; hæc enim utiq; *Scientiā* certior est; Verbum equidem ipsius Dei est, qui fallere aut mentiri nescit: sed de eâ, quæ ex *humanâ* *autoritate* fluit; hæc cū dubia sit, est quoque *Scientiā* incertior.

Quod si ita; quid quæso jam de illis iudicandum erit homuncionibus, qui, *Rationis* immemores, vel planè nihil absque *autoritate* (puta in rebus *philosophicis*, quibus *Autoritas* nulla sit; non autem aliis, utpote *Theologicis*, in quibus *Autoritas*, præcipuè S. *Scripturæ*, valet plurimum & maximè alleganda) pronunciant:

ciant: sed semper Pythagoricum istud *αὐτὸς ἔφα*, urgent & in-
 ore habent h.e. plurimos & ferè infinitos autores, quos etiam
 nunquam inspexere, minus manibus tractavere, allegant; modò
 sui admirationem in aliis excitent, ac si tot antiquorum autorū
 monumenta brevi vitæ curriculo percurrerint. Hinc aliorum
 scripta, quæ ubi non totidem allegationibus referta fuerint, mi-
 rum quàm ad unciori suspendant naso! Ipsi deridiculi, quod se
Philosophos salutari patiantur, & tamen in re, sæpè tyroni notâ,
 suum exponere iudicium vix ac ne vix quidem conentur, *Pyrrho-*
niorum & Scepticorum illorum, quorum in *Theoremate nono* brevè
 fecimus mentionem, haut absimiles, qui in omnibus *τὸ ἐπιχει-*
ρῶν tutissimum habebant? In ejusmodi viris sanè hoc cacoëthes
 tantò magis est culpabile, quod meræ ostentationis gratia, ut di-
 ctum, ita citent autores; aliàs ubi necessitatis ergò, ut scilicet aliorū
ὁμολογία adhibeatur, allegationes tantùm susceptæ fuerint, rem
 non tam suspectam, quàm magis reddunt clariorem. Sed hæc
 de *Opinione & Autoritatis consequente Fide* *τὸ ἐν ὁμοιογενείᾳ ἐ-*
νεκα. Revertimur jam ad nostrum Theorema, quod ita habet:
Rerum simpliciter necessariarum certæ & distinctæ ponendæ sunt Disci-
plinæ &c. *Certæ*, dicimus, ne *Habitus* hic cum aliis, qui vel non ha-
 bent *Conclusionem ἀποδεικτικὴν*, vel sunt rerum *Contingentium*, for-
 sã confundatur; *distinctæ* autem sint, sc. inter se, sub hoc *Habitu*
 comprehensæ; & quidem tot, quot dantur *Objecta Scientiæ* diver-
 sa: quæ *diversitas Objectorum diversas ponit Disciplinas*. Cùm verò
rerum necessariarum triplicia tantùm sint *Objecta*, quæ *Habitu* ipsius
 respondeant; quod sic demonstratur: *Scientificum Objectum*
 generale est *Ens*, secundum substantiam tale h.e. quatenus parti-
 culariter sine universalitatis conceptu consideratur (Entis enim
 rationis vel per accidens, quemadmodum veram Scientiam nō
 constituunt, ita nec hujus loci sunt): Istud jam est vel *materiale &*
corporeum, adeo quæ ex materia & forma compositum, ac dicitur
corpus naturale, quat. naturale, certis constans Principiis & affectio-
 nibus, essentialiter consequentibus, ponit quæ; *Objectum*
 distinctum certæ *Disciplinæ* nimirum *Physicæ*, quæ ob id circa
ὄντα ἐκ ποσότητος versari putatur; vel *abstractum à materia istâ,*

G

OCU.



oculis mentis solummodò conspicua, & appellatur *Quantitas*, non verò *Physica*; differt enim illa ab hâc, quod à *Physico* consideretur ut *Simum* h. e. cum respectu ad hoc vel illud corpus; cum aliàs se habere possit ut *Curvum*, sine hujus vel illius Subjecti annotatione, tantùm quat. quanta vel mensurabilis, h. e. in se nata dividi in partes, & mensurari, certa Principia & affectiones habens, adeoq; apta constituere *Objectum* certæ Disciplinæ, videl. *Mathematica*, quæ hinc circa *ὄντα ἐξ ἀφαιρέσεως* versari dicitur; vel est istud *Ens absq; omni compositione & dependentiâ*, quale est *solus Deus*; vel *cum compositione*, ut *Spiritus creatus*: quæ tamen *Compositio* non est ex materia & forma, qualis *Physica*: sed cum actu & potentia; dicitur potius natura *abstracta secundum Essentiam*, & *Objectum* vicissim ponit certæ atq; distinctæ Disciplinæ; quippè cui sua Principia & Affectiones competunt, quæ *Pneumatica* salutatur, eò quod *Substantiam incorpoream vel immaterialem*, solis Spiritibus propriam, penitiùs sumat inquirendam: Et talem unicè exhibuit *Excellentiss. Dn. M. Scharfius, Præses*. Erunt itaq; sic tres distinctissimæ, propter *Objectorum* diversitatem, Disciplinæ, omnes ac singulæ *Scientiam*, tanquam *Genus proximum*, agnoscētes; siquidem in nobis, eas addiscentibus per firmissimas demonstrationes, *scientificum* gignunt *Habitu*, ita, ut *Intellectus* noster planè *certus* reddatur, rem illam aliter se habere non posse. Nunc nihil restare videtur, quàm ut & huic Theoremati, pro solito *Instituti modo*, paucula annectamus *πορίσματα*:

1. Intellectus noster non semper scientificè cognoscit, E. Syllogismus Apodicticus à Dialectico est distinctissimus.
2. Opinio plerumq; adjunctam habet pertinaciam, *Φιλαντιαν*, sæpè levitatē & errorem, E. errare est humanū. E. Veritas cognitu est difficilis, adeò, ut, eam in profundo puteo & abyssu qs. absconditam esse, Democritus rectè senserit.
3. De quibusdam eruditè dubitare est concessum; Dubitatio enim initium est omnis Sciētiæ, modò si fuerit dubitatio accurata & ingenua, non affectata & stolidā.

4 Non

- 49
4. Non multa crebrius allegare posse, sed quod statutū fuerit, firmis rationibus, ex mente propria fluentibus, sufficienter probare posse, facit Philosophum.
 5. Scientia non est rerum contingentium, & quæ sub actionem cadunt, E. neq; Prudentia, neq; Ars propriè dicenda Scientia.
 6. Scientia gradus suos recipit, E. nihil vetat, quin Conclusiones Physicæ & Mathematicæ, aliæ aliis sint certiores.
 7. Entia particularia à Metaphysico non considerantur, E. perperam hactenus Philosophi quidam Intelligentias vel Spiritus ad Metaphysicum forum retulerunt.
 8. Disciplina non tantum Cōclusiones, sed & ipsa Principia pertractans, non simpliciter Scientia est dicenda, E. Metaphysicæ Genus Scientiam ponere, falsum est.
 9. Objectum Scientiæ semper sit reale, &, ut ita dicam, substantiale, non rationale. E. Logica saltem Instrumentum est, minimè Scientia.

MEMBRUM TERTIUM

DE

S A P I E N T I A.

XII. Ex Intelligentiâ & Scientiâ consurgens, tertius subsequitur Mentis Habitus Theoreticus, qui est ut perfectè cognoscens & concludens, à quartâ Habituum Specie maximè distinctus.

De Præstantia atq; Excellentia SAPIENTIÆ in præcedente Membro monuimus, eam videlicet tantam esse, ut, pro Dignitate convenienti, istâ adornata Sapiencia satis deprædicari nequeat, atq; adeò maximè digna, reliquis omnibus ex suo jure ut præferatur, quippè quæ indè Scientiarum omnium mensura, Regula, Dux, Princeps & Regina ab ipso *Aristotele in libro tertio*

G 2

Meta-

50 *Metaphysicorum* multis in locis indigitatur. Ubi tamen obser-
vandum sedulo, competere illi ejusmodi prerogativam *non ra-
tione Inventionis aut Doctrinae*: hæc enim ratione convenientius
postrema omnium salutatur, siquidem ex *Principiorum & Conclusio-
num* cognitione est conflata, uti ex sequentibus inclarescet; quæ
ὑψίστης omninò præcedat, oportet, antequam hujus natura intimè
inquiratur: Sed præstantior videtur *ratione Objecti sui*: Hoc namq;
sunt res excellentissimæ omnes, quæcunq; sub hominis cog-
nitionem unquam cadere aptæ natæ sunt. Quia ergò *Objectum* ejus
ita est comparatum, ut propter eminentiam adjunctam nullum
ferè sibi simile habeat; cur quæso ipsa quoq; *Sapientia* aliis potius
non sit præferenda? Verùm ut hæc melius innotescant, ejus *Ori-
ginem* altius indagemus: dicimus in præsentī Theoremate, quod
ea sit *aliquid conjurgens vel confluens ex Intelligentia & Scientia*; ubi
hoc certum est, nisi duo isti *Habitus* præcognoscantur, vel nun-
quam hujus natura mente attingi poterit: quippè *ignoratis causis,
effectus semper obscuri relinquuntur*. Habere jam bini isti *Habitus* se-
se tanquam *causa* hujus tertii, patescit ὀφθαλμοφανῶς: *Quicquid
accedit ad rei alicujus Existentiam producendam, illud se habet ut causa
ejusdem*; de *Intelligentia & Scientiâ* subsumptio evadet optima.
Etenim *altera* est, quæ ipsa *Prima Principia* vel *Causas* suppeditat;
ex quo fit, ut hæc *Sapientia* à Philosopho Ἐπιστήμη ὡς ἔξ καὶ Φα-
λῶ ἔχουσα h. e. *Scientia ad Prima Principia elevata* cumque illis
complicata vocitetur, & verè Pallas ista, secundum veteres,
ex Jovis cerebro prognata: *altera* modum demonstrat, ex istis
primis Conclusiones necessarias eruendi. Sed ob hæc obstupescens,
quærere forsitan aliquis satagit, *quo rationis genere ista dixerimus*:
Quod si ambo illi *Habitus* ad tertium hunc confirmandum
teneantur convenire, evadet ita *Sapientia Habitus Compositus*, at-
que adeò ab *Intelligentia & Scientia* minimè distinctus; quod ta-
men *quinarium* istum numerum *Intellectualium Habituum*, supra
probatum, vel opinione citius infringet. Sed res erit
expedita, modò cum salis grano, quod dicitur, id accepte-
tur. Etenim consideratur *Sapientia* potissimùm bifariam, vel
pro universâ sua latitudine, vel prout aliquid *proprium à cæteris*
Habi-

Habitibus contradistinctum includit. *Priori modo* accepta *Compositum Habitum* salutari minimè repugnat, quippè *binos istos Habitus* conjunctim requirit: cave tamen putes, istam compositionem esse tanquam ex duabus partibus essentialibus, qualis corpori naturali propriè competit, ut quod ex materia & forma constat: *posteriori verò modo* si sumatur, & *simplex illa* vocari apta venit, quaenus hoc sibi proprium reservat, ut sit *cognitio Conclusionis* proximè prodiens ex *Principiis* absolutè primis; atque sic utiq; *distinctus* apparebit *Habitus* à reliquis suppositis, & quidè (1.) *ab Intelligentia*; Illa namq; quà talis, promptitudinem quidè, percipiendi ista *Principia*, exhibet, non tamen illustrandi vel propugnandi eadem, quemadmodum *Sapientia*, & sub ea *Metaphysica*, in se continet. (2.) *à Scientia* autem, cum *hæc* tale *Obiectum* sub se comprehendat, de quo & *affectiones* ejus proprias demonstrat, & insimul rationem affert tum confirmandi *Principia*, cæteris *Scientiis* propria, tum declarandi communia quædam, si forsàn ab hesternò aliquo in dubium revocata fuerint; quod sanè *Scientia*, ut tali, *κρησις* convenire prorsus non præsumitur. *Ordo* itaq; *distinctionis* si quæritur, erit talis, qualis accidere solet in *Totus potentialibus*, quorum una pars est perfectior altera: sicut *anima rationalis* est perfectior, quàm *sensilis*; hæc verò perfectior, quàm *vegetabilis* &c. Eodem penè modo *Sapientia* præstantior est *Intelligentia*; hæc vicissim nobilior & principalior ipsa *Scientia*. Atque sic sano sensu uterq; dicendi modus est usitatus & stare potest firmiter, scil. quod *hic* *Habitus* dici possit vel *simplex* vel *compositus*, ita quidem, ut ne confusio admittatur, vel dicto numero quicquam derogetur. Interim cum à *potiori* semper *denominatio* instituat; & verò ad *Habitus* hujus *existentiam*, uti probatum, præsuppositi isti duo requirantur, malumus illum cum aliis vocitare *compositum* quàm *simplicem*: siquidem & *Finem* habet talem, ut *Habitu* eo præditus homo & perfectè *cognoscere*, quæ sint *prima & universalissima* rerum *Principia*, earumq; *cause* insitæ; & quæ ex illis collegerit, concludere queat solidè. Hinc quomodo à *quartâ* *Habituum* *mentis* *specie*, *Prudentiâ*, quâ cum haut rarò confunditur, differat, facile venit intelligere, ut

non indigeat ulteriori declaratione. Ultraq; sanè, & *Sapientia* & *Prudentia*, *Habitus* est insignis; Quod si enim ambo conne-
ctuntur, tunc formant *Janum* duplici fronte donatum; formant
Platonis Androgynum omni ex parte quadratum: ex contempla-
tione ut Mare, civili *Prudentia* ut foeminâ constitutum; ocula-
tissimum formant *Argum*, Heroicum *Herculem*, partim apud
superos, partim apud inferos locatum; reddunt *parvum hominis*
mundum, similem mundo magno & cœlesti: In cœlo enim ful-
gent præsertim duo luminaria, Sol & Luna, *Sapientia* Soli, *Pru-*
dentia Lunæ est similis. Ut enim Luna à Sole, ita *Prudentia* à
Sapientia splendorem recipit; ac ut Luna præest nocti, & Sol di-
ei: Ita *Prudentia* præest huic tenebricosæ vitæ, *Sapientia* vitæ di-
vinæ & absolutè præstanti, *Prudentia* propinquior est nobis, ut
etiam Luna &c. *Hæc Piccolomineus*. Nos propterea *alteram* du-
cimus honorandam, & *alteram* de nota optimâ commendan-
dam; ita tamen, ut primarius respectus principaliori & ἀπλωῶς
præstantiori semper asservetur, h. e. *Sapientiam* veneremur ut il-
lustrem parentem, *Prudentiam* suspiciamus ut generosam pro-
lem, quibus quodcunq; hominum genus penè nobile & præ-
clarum redditur. Videtis jam ex his emanantia πορίσματα:

1. Quò quid est dignius, eò quoque præstantius: hoc valet
in omnibus.
2. Duobus modis res aliqua cæteris dici potest excellentior;
& ratione Inventionis, & ratione Objecti, circa quod
versatur: magis tamen hujus quàm illius respectu.
3. *Intelligentia* & *Scientia* habent se ad *Sapientiam*, tan-
quam partes ad totum.
4. Dicitur aliquid potest ex certis rebus compositum, quod
tamè cum iisdem non ita est idem, ut non simul habeat,
quod ab illis sit diversum.
5. Reverà *Sapiens* non est dicendus is, qui assertionis suæ
fundamentum, ex Principiis erutum, nequeat addu-
cere.
6. *Voluntas* dependet ab *Intellectu*, id quod suprâ dixi-
mus. E.

Pruden-

Prudentia Sapientiâ est posterior adeoq; restrictior.

53

7. Quæ Objecto & Fine distinguuntur, non possunt esse unum & idem, E.

Sapientia non est Prudentia, & contrâ.

XIII. SAPIENTIA est Habitus Intellectualis Theoreticus compositus, rerum præstantissimarum atque honestissimarum cognitionem integram sibi sola vendicans.

Sapientia nomen ita augustissimum semper apud Veteres fuit, ut omne illud, quodcunque honorabile aut præclarum videbatur, isto cohonestare non dubitaverint; quippè quod Græcum Σοφία (à σοφία, veneror) nihil aliud, quàm honorem & venerationem significet; propterea & illi, qui opus aliquod laude dignum sunt aggressi, mox Sapientes nuncupari cœpere. Hinc Græci, qui tunc temporis haut vulgari autoritatis fuere, cum multa proprio studio invenerint, quæ aliàs obscura & tecta māsissint, omnium gentium Sapientissimi videri voluere: undè & septem suos Sapientes, multis iisq; egregiè scriptis carminibus decantatos, constituere. Quia verò & ipsum DEUM sapientissimum, adeoq; in gradu excellentiori positum, Numen mente comprehendere, distinctionem insinuavere inter Divinam & Humanam Sapientiam; Illam unico Deo, ut meritò, attribuere, de qua Plato in Phædro sub persona Socratis: Sapientis cognomen, inquit, ô Phædre, magnum est soli DEO convenit. Hanc verò Hominibus eruditione & arte præstantibus: Quibus etiam accessit Pythagoras, homo ingeniosissimus; Hic verò deprehendens summam Sapientie eminentiam, eam potius venerandam quàm anhelandam, ut hominum conditioni planè imparem, judicavit. Interrogatus itaq; à Phylasiorum Principe Leonte, quemnam se profiteretur, τῆς σοφίας ἰσχυρῶντι se dicere maluit; cujus modestiam postea alii sicuti, Philosophi nomine contenti fuere. Sed quid Aristoteles? Is in Libro sexto Nicomach. de Sapientia scribens, neutram fanè illarum propriè attendit. Non illam; quippè quam dubio procul ipsam DEI Essentiam esse, mentemq; humanam quàm
logis.

longissimè transcendere, cognovit; non hanc, præsertim in si-
gnificatione datâ: siquidem ipse d. l. veram illam, ut quæ perfe-
cta & universa *cognitio* multis nominib; comparanda foret, ab-
strahit ab ea, minus commodè ita dicta, qualis saltem vel insi-
gnis artis cujusdam peritiia (juxta illud Homeri in Margite:

Τὸν δὲ ἔτ' ἄρ' σκαπῆρα θεοὶ θέου, ἔτ' δροτῆρα,

ἔτ' ἄλλως σοφόν.) quâ præditus Phydias, Olympici

Jovis sculptor, & Polycletus, artifex statuarum fictor κατὰ χρησι-
κῶς *Sapientes* sunt appellati, vel aliqualis rerum divinarum hu-
manarumq; & causarum notitia fuit, quam paulò ante Pythago-
ras Philosophiam dixit: Sed talem potius innuere voluit, quæ
τεῖνον per altissimas causas existentium *cognitio* communis &
ἀκρίβεστάτη τῶν Ἰπσισημῶν esset: undè verè *Sapientis munus* de-
scripsit, μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν δεχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς δε-
χὰς ἀληθεύειν. Et ut ejusdem mens eò melius percipiatur,
utriusq; & σοφῆς & σοφίας certas & convenientes *Conditiones* si-
vè *Proprietates* constituere ipsi placuit, quæ singulæ ita expri-
muntur: 1. Ἰπίσαδὲ μάλιστα πάντα τὸν σοφόν, ὡς ἐνδέχεται καὶ
θέου ἔχοντα Ἰπισήμιω, hoc est, *Sapientem omnia scire, nec tamen*
singulatim ad infimas usq; species descendere oportet; Hoc enim fieri
nullo modo potest, ut aliquis ita ea assequi valeat, & sit παμφι-
λόσοφος: sed quoad primos saltem *sciendi fontes*. Qui ulterius
progredi cupit, citius Sophistæ nomine erit indigitandus. 2. Τὸν
τὰ χαλεπὰ γινῶναι διωάμνον, καὶ μὴ ῥάδια ἀνθρώπω γινῶ-
σκεν, h. e. *Sciat difficultiora & à sensibus remota*; quæ tamen median-
te indefessâ diligentia perceptu apta. *Levia* namq; & quæ *sensi-*
bilibus obvia novisse, & vulgaris cujuslibet homuncionis est; *Diffi-*
cilia verò intellexisse solus *Sapientis* sibi proprium assignat. 3. Ἐπὶ
τὴν ἀκριβέστερον, h. e. *In accuratâ demonstrandi ratione versetur*. Er-
gò *Sapientis* & in Principiorum cognitione sit certissimus, & in
reddenda rerum ratione versatissimus. 4. Τὸν διδασκαλικῶ-
ρον τῶν αἰτίων, h. e. *ad docendum sit aptissimus*; Scilicet ut omnia
ad prima usque *Principia* & causas proximas revocare valeat
aliosq; de quibusdam rectè informare. Ubi tamen observan-
dum, non tam docendi modum, quàm ipsorum Principiorum
cogni-

cognitionem attendi: *Principia* enim, ex quibus docemus, priorē potiorēq; locum obtinent, quā docendi modus. 5. Τῶν ἀπληθύνων δε τῶ ἀυτῆς ἐκείνη, h. e. quae maximè ex se sit expetenda; Igitur non alterius causa: propterea honorabilissima & maximè divina alibi vocatur; tractat enim res generalissimas adeoq; gravissimas, prima nempè *Principia*, utpotè quae cognitu omnium dignissima. 6. Τὴν δεξιωτέραν, hoc est, alius praesit & praecipiat. Namq; & hoc *Sapientis* est proprium, non ut ipse alterius ductum sequatur: Sed potius aliis praescribat, sicut fabris *Architectus*; & ἄλλ' ἄλλ' ἀπὸ τῆς ἀρετῆς τὸν σοφόν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, ipse concludit *Philosophus*. Ex quibus sanè *Conditionibus* suppositis nos facile colligere quimus, quanti momenti haec realium *Habituum* species tertia, quamq; praecellens sit & haberi debeat. Ut itaq; & nos ipsi suum jus & dignitatē rectè tribueremus, ad *Philosophi* mentem propius accedentes definitam dedimus, nec quicquam morantes talium perversitatem, qui *Sapientiam* hanc aliter definiendo, in eoq; se solos sapere praesumendo, non parum *Insipientiae* prodidère. *Genus* datae *Definitionis* posuimus, quod sit *Habitus Intellectualis Theoreticus compositus*; tale quippè, ἀκρίβως loquendo, quod definitum rectius exprimat, constituendum utiq; videtur, h. e. ὀικείον & maximè propriū: ubi rectissimè adjicitur τὸ compositus; hoc n. respectu insinuatur *Generis limitatio* & simul *Differentia*, quae postea *Objectum*, ut & *Finem*, inclusum habet. *Objectum* autem sunt res praestantissimae & honestissimae; per quas nihil aliud intellectum volumus, quā ipsa prima *Principia*, & quae eorum amplexu continentur, *Conclusiones*. Quae utraq; si conjungantur atque simul sub re certa comprehendantur, quid in tota *Philosophia* melius sivè praestantius unquam posset concipi? *Finis* est eorundem *cognitio*; intellige talem, qualis homini competere apta: interim sit *habitualis*, nec confusa; quā jam qui pollet integrè, verè σοφός minimè φιλόδοξος, denominatur meritò. Unicum h. l. ventilandum restat: dictum fuit, quod *solus Sapientiae Habitus* ejusmodi cognitionem, qualem notavimus, sibi vendicet; ubi equidem hoc verum est, quod & praecedentes *duo Habitus* talem sibi tribuere videantur, interim imperfectè paululūm; quippè neutra eorum *cognitio* sibi *objectum* inclusum

H

habet

habet *conjunctum*, quale sub hujus cognitione conspicitur: sed altera alteram hujus partem, altera vicissim alteram præscindit & amplectitur. Hinc dicendum, esse *distinguendum inter cognitionem confusam & distinctam*: *Confuse* quidem bini isti *Habitus* ejusmodi apprehendunt *cognitionem*, quatenus scil. *Objecta* eorum quandam *conspirationem* fovent, ut e. g. *Principia* (quæ *Objectum Habitus Intelligentiæ* ponunt) potestate includant *Conclusiones* (quæ ad *Objectum Scientiæ*) & vice versâ: *Distinctè* autem & *perfectè* ambo ista *Sapientia* sola novit & considerat. Satis! *Supplementi* loco sequentia etiam percipias *περίσματα*:

1. Nervosè dictum à Philosophorum Coryphæo: *ὅτι ἀνθρώπων τῆς σοφίας ἢ κτήσεως*, lib. 1. *Metaphysic. cap. 2.* quatenus scil. talia sub se comprehendit *Sapientia*, quæ & ipsi *DEO* conveniunt.
2. Optimè *Piccolomineus grad. 5. c. 26.* Verè *Sapiens* debet sibi & aliis sapere; cum sibi sapiat, sapere debet omni ex parte: atque ita divinas mentes æmulatur.
3. *Objectum Habitus* æquè latè patet cum suo *Habitu*, *E. Scientiæ* *Objectum* non possunt esse res particulares.
4. *Sapientia* semper universalialia intendit, nec unquam ad particularia descendit, *E.*
Soli *Sapientis* est omnia novisse, posse docere &c.
5. *Regula Theologica* est: *Initium Scientiæ* *Timor Domini*; Ad hanc rectè *Plato in appendice Legum*; Verè *Sapientem* illum dici, inquit, qui cum divina *speculatus* fuerit, rectè de humanis sapit, eaq; congruenter moderatur.
6. *Sapientia Scientiarum* omnium præstantissima à multis describitur; hinc *Aristoteles* vult, ideò *Veteres* non statuisse præmium aliquod *Sapientiæ*, sicuti certaminibus; cum propter *eximiam* ejus præstantiam, nec idoneus *judex* ejusdem reperiri, nec satis dignum præmium constitui possit.
7. *Sapiens* potest disputare contra negantem *Principia*; quippè qui primas causas adducendo ipsam *veritatem* adstruere adeoq; omnem *dubitationem* declinare valet.

XIV. Datur omnino certa ac distincta quadam Di- 57
sciplina, Habitui huic laudatissimo quoad na-
turam & proprietates ejus ex toto correspon-
dens, dicta METAPHYSICA.

In trita illa satisq; apposita Philosophia Definitione SAPIEN-
TIA integram ejus partem, nempe Theoreticam, denotat: nec e-
quidem male, si generaliore vocis hujus significatione atten-
dimus. Etenim cum omnis Theoretica Disciplina sit vel Intelligen-
tia, vel Scientia, vel Sapiencia, quem numerum in antecedentibus
probatum ivimus: hæc v. ultima simul sit & Intelligentia & Scien-
tia, quemadmodum in præcedentibus duobus *ἡωρημασι* demō-
stravimus, certè voce σοφίας vel Sapiencie in dicta Definitione o-
mnia comprehensa videntur; Interim quoad specialiorē vocis
notationē, quæ ea ab Intelligentia & Scientia contradistincta ma-
net, distincta utiq; & peculiaris poni debet Disciplina, quæ istā tan-
quam Genus proximū agnoscat. Ejusmodi jam Aristoteles in Libro
Metaphysicus nomine proprio indigitat *πρὸς τὴν σοφίαν*, quæ post-
eā ab aliis Philosophis Metaphysica est salutata eò, tum quod agat
μετὰ τῶν πρὸ τῶν φυσικῶν, h. e. talia tractet, quæ post vel ultra Physi-
cam sunt constituta, tum quod Subjecti ejus dignitas atq; excel-
lencia talem Inscriptionem mereatur; rectius eò, quod illa non
contenta sit τὰ ἐκ τῶν δεχῶν saltem scire, verum ulterioꝝ progre-
di satagat, nimirum inquirendo, quænam ipsorum etiam Princi-
piorum sit adhærens veritas: quod officium aliàs ipsi Sapiencie Phi-
losophus attribuit; prætereā quod & omnes Sapiencie proprieta-
tes, quas in proximo Theor. recēsuimus, assumat sibiq; proprias
assignet: Namq; (1.) circa omnia qualiacunq; vel maximè versatur,
quando scil. Ens in universalitate suā secundum generales ratio-
nes cōsiderat, (2.) Difficiliora & à sensibus remotiora pertractat; quod
ipsa Subjecti ejus dignitas efflagitat. (3.) Cognitionem parit cer-
tissimam; quippè talia exhibet Principia, ex quibus cætera suam
vim ac certitudinē arripiunt, (4.) ad docendum causasq; rerum ape-
riendas alius Scientius est aptior; ἢ γὰρ αἰτίων ἡωρηματικῶν ὅτι δὲ
δασκαλική. (5.) Insuper sui, nec alterius, gratia est appetibilis; siquidē
de nobilissimis Entibus, tanquam rebus valdè subtilibus ac defi-
derabilibus agit, (6.) Deniq; aliarum Scientiarū Princeps & Domina

*dicitur ministrantiq; preponitur, h. e. quando iterum causas rerum primas, quæ cæterarum quasi fundamenta sunt, contemplatur. Cum itaq; hæc Disciplina ita sese habeat, quis est, qui certitudinem ejus negare ausit? siquidem videt, tale ei competere Objectum, quale ad quamcunq; Disciplinā requiritur. Id saltem h. l. disputabile videtur: an dicta hæc Disciplina per Sapientiam tanquam per genuinum Genus queat definiri? ubi obstare videtur illa Maxima Log., quod Genus non possit conservari in una specie: Quia igitur præter Metaphysicam non dantur plures species, secundum nonnullos; utiq; sequi putant, Sapientiam propriè Genus esse non posse. At enim verò non est, quod levidensis hæc ratiuncula nobis in retàm perspicuâ pulverem ob oculos spargat: siquidem dijudicatu facile est vel ex Logicis, & Maximam istam, quemadmodum cæteræ omnes, sine ullius exclusione, suas exceptiones patiuntur, veram limitationem admittere; scil. quod in illa τὸ Genus & formaliter & materialitèr considerari aptum sit, interprete Excellentiss. Dn. D. Jac. Mart. in Partitionibus Metaphysicis; hoc tamen cum respectu: si formalitèr sumptum intelligatur, valeat omninò dicta ista Maxima, suffragio omnium Logicorum; quod si verò materialitèr duntaxat, h. e. secundum essentiam suam, consideretur, corruiat ea verè; id quod pluribus illustrare possemus, nisi Soli faculam adducere, mareq; uti ajunt, stillicidio augere vereremur. Accedit ad stabiliendum datum Genus, quod, uti initio annuimus, & tota Philosophiæ pars Theoretica Sapientia nomine venire queat, si rem accuratius intendamus; imò ipsa Theologia revelata isto salutatur à Philosophis. Nam non adeò arrogans est hæc nostra Disciplina Metaphysica, ut Sapientia titulum ultrò aliis præripiat sibiq; soli assignet: sed potius, quemadmodum in omnibus commendatissima ea habetur, tantæ est humilitatis (liceat ita loqui), ut cum aliis pluribus lubentissimè istum partiretur, modò saltem ad ejus Excellentiam pariter ascendere valerent. Dicendum itaque, ut hæc in Compendium redigamus, quod Sapientia reverà Metaphysicæ Genus sit, quamvis non perfectè univocum, attamen *ωὅς ἐν καὶ ἀφ' ἐνός*: præcipuè enim & *ἡγεμονίως* huic Disciplinae competit; consequenter autem & *διδασκαλίως* aliis. Atque ita bono cum DEO omnes
Theo.*

Theoreticos Habitus, qui in ea animi parte locantur, quæ
ἰσθητικὴ appellatur, finemque solam γνώσιν τῆς ἀληθείας
respiciunt, absolutos exhibemus. Aetna jam in collem con-
trahenda, & paucis de iis, quæ ad agenda faciendaque in vita
necessaria nos habiles reddunt, videndum. Ecce tamen prius
& hæcce περίσματα!

1. Sapientia & Philosophia cōveniunt ut pars & Totum, E.
rectè dicere possum: Philosophia est ipsa Sapientia,
secundum veteres Philosophos, sed non contrà.
2. Metaphysicam dicere puram Scientiam, est ejus Digni-
tatem, quæ eximia, infringere.
3. Ens universalissimum & abstractissimum non est opera-
bile, E.
Metaphysica est Theoreticus Habitus tantum.
4. Metaphysica & Sapientia non habent eandem Definitio-
nem, E.
non sunt Synonyma Grammatica, contra quosdam.
5. Metaphysica proprium subjecti sui considerandi mo-
dum habet Specie unum, E.
est una specie Disciplina.
6. Metaphysica non est confluxus omnium Disciplinarum,
licet omnia consideret.
7. Sapientia est essentielle latius Metaphysicæ & quidem ta-
le, quod proximè & immediatè prædicatur in quid de
Metaphysica, E.
est verum Genus Metaphysicæ.
8. Metaphysica tractat & considerat Ens, ut est Ens, species
& passiones habens, E. decem Prædicamenta, ut vul-
gò vocantur, ad Metaphysicam rectè referuntur.

SECTIO TERTIA

Habitus Practici Naturam ejusq; Species in
duobus MEMBRIS delinians.

60 XV. *Habitus Intellectualis Practicus res contingentes propter singularem usum inquiri, ad easque conformandas applicat humanas actiones ita, ne contra sanationis dictamen impingant; quæ vicissim in duplici differentiâ posita.*

Ad *Practicorum Habituum Contemplationem*, qui ad alteram animi facultatem, nempe λογικὴν, referuntur, descensuri, minimè supervacaneâ ista *Quæstione* ab initio immoremur, quæ est: nùm illorum quedam sit utilitas? quippè quam nemo, nisi qui turpissimam Ignorantiam, immò & desperatam malitiam, præ distinctâ rerum cognitione electam velit, ambiguam sibi reddet. Etenim *res necessarias*, easque in universalitate positas, novisse, quid prodesset, si eas, quæ singulariter sub *actiones* nostras cadunt, neglexerimus? Profectò verum! quemadmodum is, qui primas lineolas duntaxat novit ducere, sive rem aliquam ad unum exemplar utcunq̄ effingere, nec ipsas imagines aut figuras exprimere, adeoq̄; specimen profectus sui paulatim edere valet, nullo modo vel in picturâ vel in statuariâ *Artifex* est renunciandus: Sic qui superiores istos *Habitus*, qui *Contemplationi* saltem inserviunt, acquisivit, nec ad *Practicos*, quæis vitam suam doctrinæ convenientiorem probare potest, sibi comparandos aspirat, perfectè *Doctus* minimè salutabitur. Ut autem horum natura eò melius nobis innotescat, datum *Theorema* examinaturi videbimus 1. Vocis annotationem sive denominationem. 2. Objectum, 3. Finem, & 4. Subdivisionem. Denominationem itaq̄; quod attinet, sortitus est eam *Habitus* ἀφ' τοῦ πράττειν, ab *agendo*; quæ vox hîc generatim quamlibet *actionem* vel *operationem* significat, ita ut simul eam, quæ vel *opus externum* respicit, includat: & in hoc *Speculativo Habitu* adæquatè opponitur. *Objectum* sunt omnes *res contingentes*; quatenus *usu* pollent insigni in cōmuni vita, & sub *actiones* nostras cadunt ita, ut eas pro arbitrio rationis mutare & conformare possimus ex iisq̄; simulac *Veritatem* eruere; ad cuius cognitionem ipse *Finis* tendit, quem *Habitus*

hic

hic cum Theoretico communem habere videtur, ex ipsa denota-
 tione vocis θεωρητικῆς: sed ratio diversa altius indaganti apparet;
 propterea nos distinguendum putamus inter γνώσιν quamlibet
 & inter θεωρητικῆν propriè dictam: Illam adèò universalem esse
 sentimus, ut & Practico Habitu competere apta sit, siquidem ad-
 junctam habet operationem, eamq; ad externum opus tendentem;
 Hanc verò soli Theoretico adscribimus, utpotè quæ circa rem ex
 naturâ operabilem nunquam versatur, sed in sola cognitione ita
 acquiescit, ut Intellectus ad aliud non extendatur; ex dictis.

Res verò Contingentes in duplici positas esse differentiâ, diximus:
 quædam namque purè agi dicuntur, quædam unâ effici. Aguntur
 illæ, quarum actio vel administratio est operatio humanæ liberta-
 tis, quæ versatur in iis, quæ pertinent ad vitam rectè instituendâ,
 proficisciturq; ex ratione & προαίρεσιν, ejus boni gratia, quod in
 operatione includitur; Efficiuntur autem istæ, quarum Effectio est
 operatio ab Intellectu, arte directo, per Φαυσιότητα & vim movendi
 in externam materiam proficiscens, illius operis causa, quod elabo-
 ratum remanet. Undè duæ diversæ species ejus Habitus resultant,
 quorum altera τὰς πράξεις, actiones civiles, moderatur, & est re-
 rum agendarum, quæ cum ipsa operatione evanescent, diciturque
 Φρόνησις: altera &q; ποιήσιν intendit, estq; earum rerum, quæ
 ex operibus, cessante operatione, sensilem post se effectum relinque-
 tibis, æstimatur, & vocatur Τέχνη. Ut ita ambo convenient 1. in
 eo, quod possint esse in eodem Subiecto, 2. in communi objecto vel
 materia, quod utraq; circa res contingentes versetur: Discrepant ve-
 rò 1. Fine, quippè prior habet πρᾶξιν, posterior πόνησιν ἢ ποιήματα,
 2. circumstantiis, illa cum virtute morali concurrat, & quidem ita,
 ut altera sine altera existere nequeat; hæc non item, sed à morali
 virtute ut plurimum est separata, adeoq; nemo indè Vir bonus, sed
 bonus Artifex denominatur. 3. Peccatorum ratione, qui enim in
 arte factus peccat spontè, minus reprehendendus est, quàm qui in-
 vitè; quia in hoc ipsa Imperitia apparet: sed contrà sese res habet
 in Prudentiæ subiectis: ubi qui spontè peccat, majore reprehensione
 dignus censetur, quàm qui invitus; siquidem priori ipsa malitia
 adhæret, posteriori non item. Sed plura in seqq. Membris de illis
 speciebus.

Speciatim dicenda venient. Nos hoc loco saltem talia addimus
πρῆξιματα:

1. Non potest sine implicatione unus aliquis Habitus dici & Theoreticus & Practicus.
2. Habitus Practici perficiunt mentem non intensivè, id quod Theoreticorum est, sed extensivè.
3. Habitus Practicos solis novisse præceptis & ad usum non transtulisse, nihil est.
4. Verùm istud vulgare: In rebus Practicis res necessarias quærere, est a pros in medio mari venari.
5. τὸ Practicum non potest prædicari de Habitibus Theoreticis. Contra illos, qui Prudentiam Contemplativam statuere.
6. Prudentia cum Arte minimè confundenda; sed ratione formalitatum à se invicem distinguendæ.

MEMBRUM PRIMUM

DE

P R U D E N T I A.

XVI. Practico Intellectui competit quidam Habitus, qui sit tanquam Norma & Regula, à qua πρᾶξις vel Operatio hominis, Voluntati & arbitrio ejus subjacens, dirigatur.

Quod olim Euryphamus Pythagoreus (referente Stobæo) de communi hominum vitâ eruditè exposuit, conferendo eam cum Lyra perfectâ numerisque omnibus absolutâ, id nos elegantè ad PRUDENTIAM, illam humanæ vitæ Regulam, referre valemus. Quemadmodum enim perfectâ Lyra hisce tribus potissimùm indiget: *Constructione, Concinnitate & Contrectatione*: Ita ad exactam Prudentiæ absolutionem, istis correspondentia, tria requiruntur vel maximè: 1. *Facultas animæ* per naturam congruentè affecta, tanquam *Principium*: 2. *Habitus*, exercitatione crebrâ comparatus, tanquam *Medium*, & 3. *Actio vel Operatio*, in qua si bona fuerit,

PIII.

Prudentia conspicitur, estq; tanquam *ultimum* seu *Finis*. Per *Facultatem* h. l. intelligimus λογιστικὴν ἢ βουλευτικὴν, uti in præcedentibus modò innumimus, quæ est *Intellectus Practicus*, in quo tanquã actionum humanarum principio *Prudentiæ Habitus* generatur; ad cuius generationem cõspirare debent varia, quatenus à Philosopho nostro præscribuntur, utpotè sunt v. g. *Longa observatio & singularium Experientia*. Verba ejus sunt lib. 6. Ethic. cap. 8. τῶν κατ' ἐνάσα Φρονησίς ὁτινὰ γίνεται γνώριμα ἐξ ἐμπειρίας τὴν δὲ ἐμπειρίαν ποιεῖσι πολλὰ τὰ χρόνος. Undè causa est, anatur, cur *Juvenes non Prudentes evadant*, quippè quod propter ætatem rerum agendarum usu destituantur; quin autem *Mathematicis Disciplinis* esse possint dediti, nihil vetat, eò quod solo judicio hîc sit opus. *Experientiæ* accedit μνήμη, præteritorum recordatio, præsentibus & futuris accommodanda, ut quid factò opus sit, benè semper prospiciatur: Quod enim sibi rectè prospexerit, id *Prudentiam* habere dicere solemus; undè *Seneca lib. 4. de virtut. Si prudens est animus tuus, inquit, vitæ actiones tribus temporibus dispensa: Præsentia ordina, Futura provide, Præterita recordare; nam qui nihil de Præteritis cogitat, vitam perdit; qui nihil de Futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.* Additur quoq; ἐμβουλία, *Consultatio*, quæ de rebus rectè deliberat & maturum consilium præbet, idque trito illo *Augusti Imperatoris* Apophthegmate: πρὸς εὐδὲ βροχὴν δέως: sic & requiritur σύνεσις, *Ingenii perspicacitas*, quæ prudèter judicat: Item Ἐγνώμη, *bona Sententia*, quæ æquitatem adhibet moderatricem; non minus illis adhærescit δεινότης *naturalis solertia*, eaque bona, dicta *Dexteritas*, quæ ad proprium scopũ facientia consequitur. Sed posteriores hæ causæ potius *Comites* vel *ministræ* sunt dicendæ istius principalis primæ; & cùm propriè ad *Philosophiam Practicam* (quæ tamen & ipsa *Prudentia* est, *Voluntatem* nostram, ita, sicut *Theoretica Intellectum*, conformans) pertineant, plura de illis hisce adjungere non necessum putamus. Præterimus hoc loco lubentes, quas alii adducere solent, *Disciplinas* ut & *Præcepta*, quibus mediantibus universalium *Cognitio*, quantum ad hanc *Prudentiam* sufficit, suppeditetur. Ex iis, modò adductis, satis videri licet *Dignitas* & ἀειότης ejusdem *Habitus*; præcipuè cùm talia,

talia, quorum numerus rarò in quodã reperitur, ad illum requirantur; ut haut incòcinnè quondã *Boëtius* dixisse videatur: *Doctos equidem multos vidi, Prudentes autem (adde & pios) perpaucos novi: Artibus enim multæ consecrantur Scholæ, sed Prudentia, (imprimis quæ pietatē rectè inculcet) quæ multis gradibus omnes excellit artes, nullæ.* Undè & proverbium est inveteratum: *Hominem esse probè doctum, sed parùm prudentem.* Subsequitur *Habitus* ipsa *πρᾶξις* vel *operatio*, quæ *voluntati* seu arbitrio hominis subest ità, ut quovis modo ab iis elici & protrahi apta sit; quia verò hæc ut plurimum *errori* subjacet, *Habitus* accedat oportet, qui tanquam unica *norma* & *Regula* istam informet, & ita *Prudentiæ* ipsi ulterius perficiendam insinuet. Satis de *Existentiâ*! Deducimus hinc *περίσματα*:

1. *Prudentiæ* principia ab *Experientia* dependent, E. *Prudentia* ipsa non solùm est τῶν καθόλου, sed & τῶν καθ' ἑκάστην, ut inquit *Aristoteles* lib 6 *Nicom.* c. 8.
2. *Prudentia* usu, *exercitatione* & *experientia* servatur atque perficitur, E. per *oblivionem* amitti nequit.
3. *Prudentia* illorum est, in quibus locum habet *Consultatio*: ὅσα δὲ δεῖ βεβλέυσασθαι περὶ τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων, inquit *Philosophus*, d. l. cap 5. E. non res necessarias, ὅσων μὴ τέλος τί δεῖ, peragendas sibi sumit.
4. *Causæ* efficientes *Prudentiæ* ex æquo in omnibus hominibus non reperiuntur, teste *experientia*, E. falsum est, *Prudentiam*, verè talem, esse naturâ insitam notitiam.
5. *Praclarè Philosophus*: In ulnis & amplexu veluti *Temperantiæ* conservari *Prudentiam*.
6. *Idem alibi*; Nihil est volitum, nisi prius sit cognitum; Et *Poëta*: Ignoti nulla cupido. E. *Voluntas* ab *Intellectu* regitur.
7. *Plato in Timæo*: *Virtus* animi non florescit, nisi *virtus* corporis deflorescat, E. *Senes* *Junioribus* sunt *prudentiores*.

XVII. PRUDENTIA est Habitus Intellectualis Practicus cum rectâ ratione agendi ea, quæ homini hâc in vita vel bona sunt vel mala. 68

De absolute Prudentia, in quibus nempe consistat, egimus; ubi non intellectam cupimus illam numeris omnibus perfectam, quippè quæ humanis viribus prorsus impar, & ne utquam vel Experientiæ vel alicujus industriæ adscribenda, potius à solo Deo expetenda venit, sicuti de tali Hilarius in Psalm. 135. loquitur: Sed eam saltem communem, qualem nos hâc in imbecillitate mente nostrâ concipere valemus. Nunc ad ejusdem Essentiam confirmandam nobis progrediendû, quam data Definitio, ex ipso Aristotele ἀπολεξεί desumpta, exhibet, circa quam attendenda sunt sequentia: I. Ipsum nomen seu Definitum, quod Græcus dicitur Φρόνησις, ἀπὸ τῆς Φρονός h. e. à mente, cujus ornamentû est laudabile; Latinus verò PRUDENTIA à providendo dicta, interprete Tullio, eò quod per hanc quisquè sibi provideat, quid fugiendum quidvé sit eligendû; vel quod præcipuus ejus scopus in providendis futuris consistat, sicut id vel ex suprâ allegatis Senecæ verbis fuit colligendum. Quemadmodum autem nullû ferè extat vocabulum, quod non in diversas significationes rapi possit: Ita & hæc Prudentia vox suam patitur æquivocationē. Accipitur enim vel ἐν πλάτει & generalitèr pro naturali & adumbrata Prudentiâ, quæ, in mediis inquirendis ad finem, plerisq; animalibus brutis à natura est concessa; quâ ratione formicæ, colligentes in æstate grana, ut in hyeme illis pascantur, Apes favum conficientes regemq; suum sequentes, Aves pro temporû varietate mutâtes loca,

(— — — sæpè exiguus mus
sub terris posuitq; domos atq; horrea fecit,
aut oculis capti foedere cubilia talpæ.) Prudentes salu-

tantur: propterea ipse Aristoteles annuit, inquiens: τῶν θηρίων ἔνια Φρόνιμα φαίνονται, ὅσα πρὸς τὸν αὐτῶν βίον ἔχοντα φαίνονται διὸνάμιν πρῶτον κλύω, l. 6. Nicom. cap. 7. Quò etiam respicit illud Salvatoris nostri: Estote prudentes, sicut serpentes; vel sumitur magis κρυφίως, & quidem (1.) pro spe futura Prudentia, quæ ex pueris præfulgere solet, dum per naturam indicât, se ad Prudentiam faciles, (2.) pro Habitu malo, h. e. calliditate & versutiâ, quo Diabolus & viri

astuti Prudentes vocitantur; vel demùm propriissimè pro *Habitu Practico*, quæ h. l. *quarta Intellectualium Habituum Species* est. Sed ad nominis notationem pertinet quoq; *συνουμία*, ad quam referuntur *Encomia & Descriptiones*: sic hæc Prudentia appellari solet *humana vitæ Regula*, *Via regia ad honestum ducens* à Platone, *Auriga facultatum animæ*, mortalem hanc vitam ducentium; imò *Dux, oculus & Mater* (præsertim à Pythagoræis) *Virtutum omnium*: ubi tamen tenendū, licet Prudentia non sit ipsa *Virtus Moralis*, cum nō pertineat ad appetitum Sensuū, neq; sit moderatio alicujus perturbationis; in attinentibus tamen ad actionē utriusq; ratio non tam est cōsimilis, quàm alterutrius maximè suspicienda. Hinc Lipsius lib. 1. Polit. c. 7. Ut Architectus opus nullū rectè processerit sine Libellâ & lineâ; non item nobis, sine normâ hâc Directrice, nempe Prudentia. 2. Genus Definitionis est *Habitus Intellect. Practicus*; undè à cæteris superioribus differt, sicut id antiè est expositum atq; detectum. 3. Objectum, quod sunt τὰ ἐνδεχόμενα περὶ αὐτὰ h. e. ea contingentia omnia, quæ sub actionē cadunt, quæq; ἀπὸ λῶς homini, prout agūtur, vel bona sūt vel mala, ἢ πῶς πρὸς εὐρίαν ἢ ἰχλὴν, ἀλλὰ πῶς πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον, & in quibus, uti Philosophus loquitur, ἡ εὐβουλία locū habet. Eaproptè olim Anaxagoram, & Thaletē Sapientes quidē vocavere, at non statim & Prudentes; quippè quòd viderint, ipsos propria cōmoda ignorare; Superflua quidē & admiranda cognituq; difficilia sciebāt: sed quia humana bona nō quærēdo qs. repudiabāt, inutilia ferè egisse dicebantur. Solā ergò Prudentiam circa ista versari asserimus, nec tamē sine recta ratione; quippè quæ, ut quidā inquirunt, Prudentiam gignit, imò ipsa Prudentia est, & unice definit, quid honestū sit tam in universum, quàm in singulis actionibus, & describi potest, quod sit rectū de vita hâc, honestissimè instituenda, judiciū, idq; ex ipsâ *Natura Lege* depromptū. Quæ *Lex Natura* ipsa *Dei lex* est, ejusq; digito mētibus hominū inscripta; sive potius *Legis illius æternæ & divinæ radius* aliquis, ad vitam hâc civilē informandam nobis post lapsū relictus, quē admodum ex c. 2. *Epistola Pauli ad Romanos* colligere habemus. Et hæc etiam de *Essentiâ* quoad *Definitionem*; *Divisionem* rejicimus ad seq. Theorema, ubi simul de *Habitus hujus Speciebus & Disciplinis* tractandum. Exsurgunt autem vicissim ex jam dictis seqq. πορίσματα:
1. Opti.

1. Optimè prospicere, quæ ad vitam feliciter vivendam conducunt, ipsum est Prudentiæ opus.
2. Prudentia in omni terreni orbis parte, in omni hominis sexu, vitæ genere, statu & conditione maximè est necessaria.
3. Is verè prudens dicitur, qui non solum sibi, sed & aliis rectè & utiliter consulit; sibi quidem, quia Sapiens est, aliis verò, quia ζῶον πολιτικόν indigitatur.
4. Prudentia non in nuda contemplatione subsistit, sed ad actionem progreditur.
5. Verè prudens non dicendus, nisi qui omnia ad honestatem referat.
6. Ad agendum Prudentia & Moralis Virtus conspirare debent.
7. Qui seorsim à Virtute Morali vel quâdam sagacitate & solertia Prudentes nuncupantur, non verè Prudentes; sed potius callidi & versuti vocari merentur.
8. Nemo debet Prudentiæ suæ nimium tribuere.
9. Quicquid à lege naturæ, & Dei voluntate abhorret, verè bonum esse nequaquam præsumitur.

XVIII. Ex generali PRUDENTIÆ Divisione suboriuntur certæ quædam Species vel Disciplina, quæ sub illa, tanquam Genere, legitimè locari debent.

Ratione Objecti, quod Prudentia cum Arte commune habet, utraq; haut incommodè cum Fortunâ comparatur: Hæc namq; in rebus contingentibus, etiam si non ubiq; superioritatem habeat, vel certè modo consimili occupata esse videtur; undè vetus iste Versiculus:

Nullum numen abest, si sit Prudentia: Sed te

Nos, Fortuna, DEum facimus.

Et Agathon Poëta quondam: Τέχνη τύχην ἔσπεξε, καὶ τύχη τέχνην. Veruntamen, utut convenient, non levidensis quoque iisdem diversitas intercedit: siquidem Fortuna aliud quid verè non est,

est, quàm defectus *Prudentiæ* & *Ignorantia* divinæ *Providentiæ*, dum vel incautè homines, eâ ducti, agunt, vel etiam in suâ *Prudentia* decipiuntur; Præterea quod *Experientia* & *Prudentiam* & *Artem*; Fortunam verò & *Casum* *Imperitia* peperit, teste *Philosopho a Metaph. c. 1.* Sed *Objecti* item *ratione* *Divisio* *Prudentiæ* insinuatur in *Universalem* & *Particularem*, sive *Communem* & *Privatam*. Res enim in *Electio*ne aut fugâ positæ vel sunt ipsi fines, qui velut sunt universales rationes & meri conceptus à rebus avulsi, vel sunt τὰ καθ' ἑκάστη & media ad finem ducentia, quæ sunt ὄντα rebus inhærentia. *Universalis* vel *Communis*, Φρόνησις πρὸς ἄλλους dicta, est, quæ non sui ipsius, sed aliorum commodis docet consulere respicitq; tùm *Patriam* & *universam Civitatem*, & dicitur Πολιτικὴ; tùm *familiam*, & denominatur Οἰκονομικὴ. I. *Politica Prudentia*, quæ totius *Civitatis* vel *Reipubl.* aut *Patriæ* optimum statum quærit aptisq; eundem promovet mediis, iterùm est vel *Universalis*, & quidem sive Νομοθετικὴ, quæ in condendis legibus, sive Δεχτικὴ, quæ ad *Reip.* commodum facientibus est occupata; vel *Singularis*, quæ περὶ κοινὴ, communi voce καθ' ἑξοχὴν *Civilis* nuncupata, maximè in singulis hominum *actionibus* versatur, & quasi manibus tractat negotia, ad *Remp.* pertinentia. Et hæc *Practica*, in specie talis, adhuc duplex: scil. βουλευτικὴ & δικαστικὴ. Illa in consultatione & deliberatione est occupata, eiq; *actiones civiles* locò materiæ subji- ciuntur; hinc *Leges* universaliter latas singularibus casib; rectè applicat, & si quæ occurrunt, quæ *Lege* universalis ab *Archite- cto* definiri nequiverunt, ea certis statutis circumscribit, quæ vim legis obtinent ad finem propositum assequendum. Hæc in ferendo iudicio posita est, & ei proprium munus est iudicare, quomodo *actiones* *Legibus* vel sint vel non sint consentaneæ, quibus præmiis & pœnis dignæ sint, si perficiantur; κριτικὴ ad iudicè pertinet. II. *Prudentia Oeconomica*, quæ suæ *familiæ* rectè consulit & propria est *patrisfamilias*, continet vel *personas*, quæ *familiam* istam constituunt, quales sunt *Maritus* & *Uxor*, *Pater* & *Filius*, *Dominus* & *Servus* &c. vel *res ipsas*, quibus alenda & susten- tanda est familia: ad has pertinet *pecuaria*, *agricultura*, *mercatura* &c.

&c. de qua plura in *Oeconomicis*. Atque hujusmodi est *Prudentia Universalis*. *Singularis vel Privata*, *Φρόνησις ὡς ἐαυτῷ καὶ ἑαυτῷ*, est unius singularis hominis, quâ quis sibi sapit prospicitq; & nonnunquam simpliciter dicitur *Prudentia*: per hanc homo ea rectè disponit, tam quæ rerum suarum *utilitatem* spectant, quàm quæ ad sui *Institutionem congruentem* faciunt; opponitur ei *Imprudencia*, quæ est sui met & suorum bonorum *negligentia*. Hæc etiam *γυνήσις* de quartâ *Habituum Intell. Specie* protulisse sufficiat! Festinandum est ad ultimam: Interim ex jam prolatis promanantia accipias *πορροματὰ*:

1. *Fortuna actionum humanarum directrix impiè* statuitur.
2. Tritum istud: *Quemq; sibi Fortuna sua fabrum esse, cum salis grano est accipiendum.*
3. *Prudentia magis consistit in suis, quàm in alienis Consiliis.*
4. *Præclarè à Platone scriptum: Non nobis solùm nati sumus, ortusq; nostri partem Patria vendicat, partem parentes, partem amici.*
5. *Non omne consilium rectum videtur esse bonum dicendum.*
6. *Variæ à Philosopho [cap. 8. lib. 6. Nicom.] constitutæ species Prudentiæ ad duas præcipuas referri aptæ sunt.*
7. *Prudentia, ἀνεπιστῶς* dicendo, de *Philosophia Practica*, ut *Genus*, prædicari nequit.

MEMBRUM SECUNDUM

ET ULTIMUM

D E A R T E.

XIX. *Annumeranda est Practico Habitui altera Species, quæ non tam actionem, quàm ipsam effectionem respiciat.*

Vidimus hæctenus, DEO adjuvante, quid *Habitus Intellectualis* sit in genere, & ejusdem, quas sub se comprehendit, perlustravimus

vimus *Species quatuor*. Restat jam *Quinta & Ultima*, quæ uti dignitate & præstantiâ meritò omnium *Habituum* postrema, ita necessitate prima est habenda; siquidem ex conditione indigentiaæ humanæ est inventa & formata, *πᾶσα γὰρ ἡ τέχνη τὸ προσλείπον βέλεται τῆς φύσεως ἀναπληρῆναι*, inquit *Philosophus* l. 7. *Polit.* c. 17. ut ita non incommodè de eâ enuncietur, quod *filia ante matrem nata* sit; quatenus scil. ipsis *Scientiis necessitatis* ratione præcedit: *Ratione* verò *considerationis* si attendatur, supponit utiq; reliquos *Habitus* omnes, & quidem (1.) *eos*, quæ in *θεωρία* apprehenduntur, ut generaliores & propter finem, ex *Objecto* resultantem, præstantiores; undè quantum naturæ ejus convenit, ipsi sit desumendum. (2.) *Illum*, qui in sola *πράξι* est occupatus, ut digniorem, *ex natura bonitatis*, quæ isti, quod saltem utile, præferenda judicatur; non sic *ex Objecto*, quippè quod cum eo habet commune, *Fine* duntaxat distinctum, ideoq; vocatur *ἐνδεχόμενον ποιητὸν*. Hic novisse decet, quænam sit *ποιήσεως* natura, & describitur ea, quod sit *actus nostri Intellectus*, ad aliud extra *Intellectum* extensus & per subordinatam facultatem *Instrumentis* corporeis ad exequendum traditus, ut ita *Intellectus* ad *EXTRA* perficiatur. Quæ *Descriptio* & materiali & formali ratione constat: *Materialis* seu generica includitur illis verbis, quod *Intellectui* conveniat, & reguletur sive extendatur ad aliud, & in ea competit etiam *πράξι*: *Formalis* autem in sequentibus, nimirum quod per *Instrumenta* corporea agat ad perficiendum *Intellectum* ad *EXTRA*; & in hâc omninò nō à *πράξι*, saltem, sed & ab ipsa *θεωρία* *ποίησις* hæc distinctissima manet. Etenim (1.) per *corporea Instrumenta* minimè contemplari dicimur, nec (2.) per ejusmodi *Operationem* vel *Politici* vel *Virtuosi* denominari meremur. Undè judicare licet, quanti sit illa quorundam distinctio habenda, qua *Artem* in *Internam* & *Externam* distribuunt? certè perperam ponitur, cum non tantum reali fundamento careat, quod non repræsentetur, sed & apertam contradictionem involvat, *Artem esse*, & in mente efficere. Illud namq; *Arti* unicè tribui debet, per quod à *πράξι* distinguitur: at per τὸ efficere opus internum *Ars* à *πράξι* non distinguitur, uti ex dictis collectu facile: E. &c. Quod si verò vulgari loquendi

loquendi modo quis delectetur, pro Sententia postmodum suam pugnet ac rectè sentientium judicia refutare conetur. Circa *Obiectum* igitur istud operaturus *Artifex* tria potissimum sedulo attendat oportet, monente ipso Philosopho: 1. *Ἡρωρίαν*, quæ pendendum ipsi incumbit Subjectum, hoc est, opus aggrediendum, num arti suæ subijci sit aptum. 2. *τὸ τεχνάζειν*, h. e. ex præscripto *Artis* opus aggrediatur, talemq; formam, qualem *τέχνη* requirit, Subjecto imponat; quod fit vel *προσδέσσει*, vel *ἀφαιρέσει*, vel *μεταθέσει*, vel *ἐναλλάξει* &c. 3. *τὸ γυνᾶν*, hoc est, ipsum *Opus* producat & quasi gignat: hoc autem ut fiat, præter *Præcepta usum* accedere necessum est, qui postea exercitatione longâ ultrò comparabitur. Sed plura in subsequentibus; Hæc saltem, ordinis ratione sic efflagitante, præmittenda duximus: pergemus jam ad ipsam *Artis Definitionem*, modò prius, quæ ex dictis elici posse videntur, injunxerimus *περίσματα*:

1. Artes profectò humanum inventum esse videntur, & includunt aliquid naturale.
2. Ars non requirit perfectam Subjecti sui *γνώσιν*, sed tantam saltem, quanta ad operandum satis est.
3. Ars præsupponit vel includit Prudentiam, scilicet ratione circumstantiarum,
4. Effectio est quæcunq; operatio ad extra, quæ non subordinatur Honesto.
5. *ἀπλῶς* contradictio est, dici *ποιεῖν* & non simul operari per Instrumenta corporea.
6. Omnis conceptus & omne Præceptum est verum per representationem.

XX. ARS est Habitus Intellectualis Practicus, cum rectè à ratione conjunctus, ad opus aliquod efficiendum idoneus.

Quàm variè *ARTIS vocabulum* accipi soleat, dictu ferè grave venit; siquidem nemini, vel qui hospes saltem in Philosophiâ, obscurum esse potest, quod nihil penè sub considerationem vel tractationem quandam cadat, cui nomen istud non assignetur.

gnetur. Nos ut *περὶ ἑκάστης* varietatem istam attingamus, quinque
ejusdem notationes ex multis erutas apponemus. Notat enim
1. *universam Sapientiae perfectionem*, quando v. g. omnia, quae in
mundo sunt, *arte Divina* constructa fuisse dicimus. 2. *Umbram*
vel Imaginem saltem Artus, in brutis refulgentem, quo modo *araneam*
homini artificium contexendi telas, *apem* formandi domicilia,
piscem natandi artem monstrasse asserimus. 3. *Omni cognitionem*
certam ad aliquem finem, vitae utilem, conducentem: sic omnes
Habitus & Speculativos & Practicos indiscriminatim *Artes* pronun-
ciamus; eaque ratione *Mathematicas Disciplinas* inter *Artes* recen-
suit *Aristoteles*, quales vulgo *septem* constituere *Liberales*, nimir.
Grammaticam, Rhetor., Dial., Arithmet., Musicam, Geometr. & Astro-
logiam. 4. *Omni Habitum mentis, solis exceptis Contemplativis, per*
quem aliquid facilius rectiusque agimus; Ita *Prudentia* etiam *Ars* com-
ponendi humanas actiones describitur. 5. *Veram Artis formam à*
ceteris Mentis Habitibus contradistinctam. In hac ultima significa-
tione intellectam *Artem* Veteres à tribus Diis prodiisse statuere,
Vulcano scilicet, *Pallade & Marte.* Nam *Pallas* Sapientiam denotat,
cui subest *recta ratio*, à qua prodit ordo, qui in omni *Arte* sum-
moperè fulget; *Vulcanus* igneum Spiritum, à quo manat efficax
progressio exactaque operis absolutio; *Mars* denique facultatem
significat & vires, è quibus munitissima prodit *operis constructio.*
Et eandem nos quoque hoc in loco unice attendentes per *Habi-*
tum Intellect. practicum, tanquam *Genus proprium,* duplici constans
specie, definitam dedimus: cujus *Objectum* non longè quæren-
tes vel antea innuimus, quod scilicet. ita comparatum esse debeat,
ut in se *effectum* recipere sit aptum, qui in sensum incurrens ex-
tra producat; utique *materiale* sit oportet, quod tractari muta-
rique possit. Quod *Finem* attinet, consistit iste in eo, quod *Ars* di-
catur *ποιεῖν,* efficere vel producere opus; unde *Habitus effectivus* sa-
lutatur, adeoque *Principium operandi* rectè dicitur: verum non ab-
solutè primum, exindè, tum quia *Habitus* est, qui vicissim *Qualitas,*
atque sic *accidens,* quod *Substantiam* sequitur; tum quia ne-
cessariò *Naturam* præsupponit, à quâ dependet, & quidem vel
in re.

in recipiente vel in efficiente : In Efficiente exposcit mentem Artificis, quæ ipsa latè Natura dicitur & absolute primum efficiendi Principium, cum Ars ei modum saltem & regulas quasi tradat ; In recipiente verò & externâ materia illam exposcit, siquidem recipiens *σῶμα φυσικόν* est, quo sæpè forma artificiosa producitur, munere tamen Naturæ recipientis; hinc Galenus inquit, quod in Laborante primum principium non sit Pharmacum, sed Natura laborantis. Aliqua tamen ratione primum principium indigitari meretur, quatenus refertur ad opus, artificiosum scil.; & ita Sanitatis, ut arte recuperatæ, primum Principium esse potest Ars medendi. Ipsa verò *ποίησις* vel Effectio non adeò strictè sumi debet, ut non per speciales quasdam Conditiones limitari queat. Nec enim efficere is tantum dicitur, qui in alio efficit, ita ut principium efficiendi sit in alio, & in alio Opus sive Effectum, sicut Sartor vestem, Sutor calceum efficit: sed & qui in se ipso efficit, ut e. g. qui saltat, canit fidibus, seipsum medicamentis curat. Requiritur equidem ad Effectum Artis, sicut diximus, materiale quoddam, non tamen istud semper sit externum & ab operante distinctum, est necessum: sufficit saltem, si extrinsecus accedat in Subjectum operans, nec per naturam sit insita; aliàs Exercitia palæstrica, Cantiones, Saltationes falsò Artis nomine censerentur, quippè quod non in externâ materia operentur, sed potius in ipsa actione quiescant; cum tamè luce meridianâ clarius sit, quod ad alium nullum, præter Artis Habitum, ista referri debeant: sed, quæris, quomodo? nempè quod requirant Corporis Habitum, quem nec Intelligentia, nec Scientia, nec ullus alius Habitus exigit, præter unicam Artem, quæ non tantum in Intellectu hæret, uti Habitus Theoretici, nec appetitum Sensitivum duntaxat respicit, sicut Prudentia: sed & ulterius extenditur vel in materiam externam, vel ad Habitus Corporeum. Ut ita suprâ datæ distinctioni inter *ποίησις* & *πρᾶξις* & hæc jure annecti queat; quod illa requirat alterutrum horum, vel materiam externam vel Habitus corporis. Hæc verò præter Habitus appetitus Sensitivi & rationis nihil exigit. Nec verò occupatus est hicce Habitus circa suum finem exhibendum sine



recto rationis genere : sed potius cum eo conjunctus semper id præstare nititur, quod *Natura*, cum qua sæpè collatus præsentatur, impossibile factu venit. *Recta* enim *Ratio* competit *Arti*, velut forma originalis rei efficiendæ mente concepta, cum notitiâ omnium conspirantium ad ejusdem expressionem concurrens: Sed cum hæc *Natura* deficiat, quis ideò *Arti* primas facile tribuere dubitet? Interim nec suam prærogativam *Natura* præripere tentabimus, præsertim si seorsim hæc consideretur, prout propria conditione suisq; viribus constat. Et satis de *Definitione* positâ! Quod jam ad illam *Luciani*, quæ est: Τέχνη ἔστι σύστημα ἑγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων πρὸς τὸ τέλος ἔυχρηστον ἐν τῷ βίῳ, eam ut ineptissimam prorsus rejicimus, vel ex eâ ratione unica (ne plures alias recitando tempus breve teramus), quod *Genus* habeat remotum, improprium, confusum & planè falsum, quemadmodum id probatum dedit fufius *Excellentissimus* Dn. D. *Jacobus Mart.* in *Exercitat. Metaph. Theor. 3.p. 1066, & in lib. 1. Partit. Met. Sect. 1.q. 2.p. 10.* Divisionem *Artis* ex sequenti *Theoremate* manebis. Nos ex data ἐξηγήσει resultantia sectabimur, hæcce πορίσματα:

1. In *Factivis* non sufficit rem inquirere, sed manum operi admovere. Undè *Proverbium* sonat: *Cantando cantare discimus, & operando operari.*
2. Nulla *Ars* sine caret aliquo. Verba *Aristotelis* lib. 1. *Eth.* cap. 1. habentur: πᾶσα τέχνη, καὶ πᾶσα μέθοδος &c. ἀγαθῆς τινος ἐφίεσθαι δοκεῖ.
3. Quæcunque operatio respicit externum opus aut expeditur per *Habitus* corporis, *Effectio* nomine venit, *Artem* que constituit.
4. In *Corpore* humano *Habitus* esse omninò cum *Excellentissimo* Dn. D. *Jac. Mart.* in *Exercitat. Metaph.* probamus.
5. Nihil propria virtute valet aliquid efficere, quod superet gradum perfectionis ejus, E.
Arte nulla *Substantia* nova potest produci.

6. Mul.

6. Multa sunt Arte, quæ sola naturâ non possunt perfici, ut
in Chymia, Magia naturali &c. est perspicuum.
7. Ars semper adjunctam habet Naturam, sed non contrâ.
8. Nullus Artifex errat, ut Artifex, sed tantum ut ignarus Ar-
tis, vel Arte malè utens.
9. Disciplina vel Habitus meritò iste repudiatur, qui nullam
utilitatem adferat.

*XXI. Varia ac distincta Habitus hujus ultimi dan-
tur Species, quas ejusdem Subdivisio sup-
peditat.*

Cùm non ex quovis ligno fieri possit Mercurius, nec cui-
libet contingat adire Corinthum, *κατ' ἴσθησιν τὰς παρρη-
μίας*, non opus videtur, ut omnes ex æquo studiis destinentur *Li-
beralibus*, siquidem id neque possibile est, uti jam probatum, neque
hoc Reip. utile, quippè quæ non ex *Medico & Medico*, sicut dicere
solemus, sed ex *Medico & Agricolo* sive *Mechanico* constare debet.
Et licet ipsa *Medicina* inter *Artes* vel *factivos Habitus* numeretur, ut
quæ operi manum interdum admovet, agentia patientibus ap-
plicando; minimè tamen *Mechanica* dicenda, sed ex *Phyficis*
Principia sua desumens corporis humani sanitatem conservat
& restituit. Sunt sanè & *Mechanica Artes honesta*, nec minus in
Sacris hinc indè commendantur, ut quando *Siracides* inquit,
quod *sine illis nec coleretur urbs ulla, nec habitaretur, nec adventu ho-
minum frequentaretur*. Nos pro re natâ de illis aliisque *Artis Spe-
ciebus* paucula dicturi, inhiò iterùm demirari debemus *Ramaos*,
qui de constituendis realium *Disciplinarum Generibus* non ad-
eò sunt solliciti, dum *unicum* saltem arripiunt idque omnibus *Di-
sciplinis* tam *Contemplativis* quàm *Practicis*, ceu *Genus proprium*,
attribuunt, *Artis* nomine ità perversè abutentes, sub eo prætex-
tu; parùm scil. conducere discenti, nùm, quodnam verum *Genus*
Disciplina sit, sciat vel ignoret; impediri eum potius hisce *de Gene-
re* *Disciplinarum* concertationibus; adeoque parum interesse,
etiam si de istis non informaretur, remanere nihilominus singu-
lis *Disciplinis* sua *Præcepta*, quæ ordine sint addiscenda; undè

quæ scitu ipsi opus fuerint, facili negotio colligere habeat. Verum non adeo robusta est *Ramistica* ista *Sententia*, ut rectè philosophantium dijudicationi aliquid prævalere queat. Cum enim *Objecta necessaria à contingentibus*, *Contemplatio ab actione & effectione* maximè sint distincta, quod propalàm est; quidni etiam illorum *Habitus* distinctissimos dicamus, & cum nominibus pro necessitate rei abundemus, suo quoque quemlibet indigitemus nomine? Non ita extendendum *Artis vocabulum*, nec generalis ejusdem significatio, prout omni, quod *Naturale* est, opponitur, ulli in addiscendis *Disciplinis* desudaturo sufficiat. Habet *Ars*, abstracta ab æquivocatione, *quinta* videlicet *realium Habituum Species*, suas distinctas *Species*, quæ ad alios referri *Habitus* prorsus ineptæ sunt & judicantur: Tales à Philosophis *varie* recensentur, ob varietatem indigentiaæ humanæ, quæ competit homini corporis sui perfectionem desideranti, formataæ. Referuntur enim omnes vel ad τὸ εἶναι *Hominis*, vel ad ejusdem εἶναι. Ad τὸ εἶναι vel esse *Hominis* inventæ sunt vel pro generatione, ut *Ars obstetricia*; vel pro conservatione, ut *Agricultura*, & aliæ, quæ nutritioni hominis sunt destinataæ: Ad τὸ εἶναι vel benè Esse autem, quatenus scil. *bonum* istud est vel *apparens* vel *reverà bonum*. Ad *apparens bonum* concurrunt *varie Artes*, uti sunt *artes ludendi, saltandi, canendi, pingendi &c.* tales quæ potius *Elusiones*, quàm *Artes* vocari deberent, quales sunt *Ars conficiendi cinnos, fucum &c.* *Ars venefica, Magia superstitiosa & similes*. Sed ad *reverà bonum* hominis reducuntur *Ars medendi, Chirurgica, Gymnastica*; item *Architectura, Mercatura; Ars Sartoria, Sutoria & id genus aliæ*, quas omnes denominare nimis longum foret. Dividuntur ergò *Artes* inter se vel in *Principes & Dominas operis*, quales *Architectonica, &c.* vel in *famulas & ministras*, quarum *Artifices* cotidie nostris obversantur oculis; ideoque vix opus videtur, singulæ istæ hinc ut enumerentur. Sed addunt alii *Ingenuas & Liberales, κατ' ἐξ ὄχλου* ita dictas, quæ tamen propriè huc referri non possunt, potius partim ad *Disciplinas Instrumentales*, partim quoque ad *reales alias* accersendæ. Nos h. l. receptui canentes, telam *Dissertationis* nostræ in Nomine *χεῖρ ὁσαυτῶν* abrumpimus, omniaque rectius

rectius sentientium iudicio reverenter submittimus; interim memores illius *Soloni*: ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἀδεῖν χαλεπόν. Ubi nec pro fine pigeat, vel breviter καὶ τὸ εἰωθὸς adscripsisse πορίσματα:

1. Stolidi sunt, qui Mechanicos propter Artem contemnunt.
2. Verum cujuscunq; Disciplinæ Genus scire, discipulum juvat maximè.
3. Quarum rerum dantur distincta Objecta, illarum Habitus quoq; sunt distinctissimi.
4. Logica nullo modo pro Genere agnoscere potest Artem.
5. Non quodlibet opus arguit Artem, sed illud saltem, quod requirit Habitum corporis.
6. Vetustiores Artifices magis sunt admirandi, nec posterioribus absolutè præferendi.
7. Ars non habet osorem, nisi ignorantem.

P R O B L E M A T A
S U P E R P O N D I I E T C O L L A T I O
n i s e r g ò a n n e x a .

I.

*An Habituum Contemplatio Studioso Theologiae
utilitatem quandam adferat?*

Certè: Quemadmodum enim Nauclero portus, in stadio currenti meta, Militi victoria præposita est: Ita qui *rebus Divinis* invigilare cupit, animæ suæ facultates ad *Habitus* dirigat, eorumque *Species* singulas, ad Theologicum studium haut parum facientes, sibi inquirendas proponat; profectum ipse experietur incredibilem.

II.

An detur Sextus Habitus Realis, qui Pneumatica vocitetur?

Suprà responsum dedimus, quod hæc *Disciplina* quidem sit

certus

certus Habitus, interim non ab omnibus planè distinctus: sed referri debeat ad alteram *Habitus Theoretici* speciem, adeoque Scientia evadat; quæ, licet quoad nos imperfecta sit, in se tamen perfectissima esse præsumitur & Angelis & Deo cognita. Cui sententiæ adhuc insistimus, & *quinarium numerum*, semel positum, propugnamus.

III.

Quinam Habitus sint præstantiores, Theoreticæ, an Practicæ?

Respondemus: Si *utilitatem* attendas, quæ in vita communi perspicitur, à *Practicis Habitus* oriunda, facilè illi ipsi primas tribues; si verò *Dignitatem* respicis, utique *Theoreticos* hisce præferendos esse assentieris. Deindè cum *Intellectus prior sit Voluntate*, ut qui huic lucernam qs. portet; & verò ad illius perfectionem *Theoretici Habitus* concurrant, ad hujus autem *Practicæ* referantur; ultro patescit, quibus præstantia propriè assignanda veniat? vide sis suprà Sect. 2. Memb. 2. Theor. 7.

IV.

An Habitus & Disciplina differant?

Videntur quod non: sed nos affirmamus, hac ducti ratione; quia omnis *Disciplina* semper addisci debet, uti ipsum nomen innuit: *Habitus* autem in universum ut addiscantur, non est necessum; dantur enim quidam innati, alii concreati, alii infusi. Plures audiamus in ipso Conflictu.

V.

An etiam dentur Mixti quidam Habitus?

Ejusmodi distinctim ponit *Alstedius in Encycloped. lib. 2. c. 9.* & denominat *Philosophiam & Theologiam*: quæ tamen potius *Facultates* (quamvis & ipse *Habitus facultas* sit, & quidem hæc latior, uti mox dicemus) indigitandæ, quàm *Habitus*.

VI. An

An à Privatione ad Habitum detur regressus?

Etiamsi hæc Quæstio hujus loci non sit, interim Exercitii gratiâ eam lubentes assumimus & quærenti respondemus: si intelligas de *privatione totali & regressu ordinario ex causis naturalibus*, dicimus simpliciter, quod non; si verò de *partiali saltem & imperfectâ privatione* tibi sermo; vel de *regressu extraordinario*, tunc facile tecum in affirmativam descendimus.

VII.

An superiores Facultates quatuor etiam sub Habituum numero comprehendi possint?

De tribus posterioribus nullum est dubium: hinc *Jurisprudencia* ad ipsam *Prudentiam* referri solet: à quibusdam *Arts æqui & boni* definitur; *Medicina* definitur *Arts Sanitatem hominis presentem conservandi, amissam verò instaurandi*. Ubi non opus jam demùm inquiramus, quàm convenienter *Arts* vocabulum in priori præcipuè Definitione (in posteriori enim rectius istud sumi, supra in *Seçt. ult. Membr. ult.* demonstravimus) sit positum, nùm scilicet, an verò strictè; sufficit h. l., quod dicatur *Arts*, quæ reverà *Habitus*. Et de *Philosophiâ* res est planissima ipsaq; loquitur: Scrupulus saltem est de *Theologia*, cujus Genus ex *Intellectualibus Habitibus* commodè non desumitur, uti supra in *Seçt. 1.* exposuimus. Interim cum illa, imprimis talis, qualis in *Academiis* discitur & docetur, similiter, quemadmodum cæteri *acquisti Habitus* omnes, *Exercitatione* atq; *Institutione* crebrâ comparari debeat, à *Sapientia* simul & *Prudentiâ* participet, *Habituum* numerum ingredi videtur.

VIII.

An de natura OBJECTI in peculiari Disciplina, quæ HEXIOLOGIA inscribitur, propriè sit agendum?

Ita: Siquidem ab Objecto omnes Habitus speciatim
L suam

plationis, aliquid actionis, aliud effectiois denique; quorum quodlibet suum exposcit *Habitum*, qui aliàs, istis ablatis, quotuplex esse possit, vix enumeretur. Pertinet ergò *Objecti natura non ad Logicam*, cum hæc de Demonstrationis Subjecto, quod Græcis *ὑποκειμένον γένος* dicitur, saltem agat: non verò item de Objecto, quod *ἀντικείμενον* vocatur latiusque se extendit; nec ad *Metaphysicam*; quæ licet speciatim & proximè Objecta denominet, non tamen generatim, quid *Objectum* in natura sua sit, vel quæ ejusdem Conditiones, exponit. Sic nec ad ullam aliam, præter datam Disciplinam: Sed hîc manum de Tabulâ.

Tantum!

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα καὶ ἔπαινος.

PRudens & sapiens totam complectitur artem,
quam sophia tradunt pulpita, laude tenent.
Disquiris meritò quæ sit sapientia vera,
quis sit splendor mentis, quod decus Indicii.
Sic pergas sapere, ut studio reverenter in omni
Cognoscas Dominum, crede mihi, hoc sapere est.
Sic pergas sapere, ut summo parere parenti
intendas totis viribus, hoc sapere est.

Scrib.

M. JOHANNES SCHARFIUS,
PRÆSES.

IN

IN HEXILOGIAM

Præstantis ac Eruditi Viri - Juvenis Dn.
CHRIST: ROSÆ, Amici
sui dilecti.

Est commune bonis, commune malisq̄, quod acri
Jam, ROSA, contendis cernere iudicio.
Est commune sacris Ζήτῆμα, commune profanis:
Imberbi Juveni convenit atque seni.
Lacteus est Illi cremor, Huic adest glutinea albi
Cernendi à nigro sensibus esca piis.
Est commune Noto adverse, Zephyroq̄, secunda
Sortis, utramq̄, regens indice norma suo.
Huic licet adsuetō Illius optio durior extet,
Ut nostra adversi temporis acta probant.
Quæ tandē ergo, inquis, Sphinx hæc mirabilis? ΕΞΙΣ:
Apta bonis ΕΞΙΣ, nec minus apta malis.
Cerea virtutis vitivē in Schemata flecti,
Pro vario figuli pectoris arbitrio.
Tu, veluti satagis, turgentia semina docti
Ad bona quæq̄, animi pollice finge, ROSA.
Sic bene cernendis Tibi sensa exercita rebus:
Præ felle optandi & copia mellis erit.
Flatibus ut dubiis Zephyrivē Notivē resistens
CHRISTI HABITU ROSEC vivida planta cluas.

Hebr. 5.

v. 12. 13.

14.

Deprop. Witteb.

M Sigismundus Evenius, Gymna-
siarcha hætenus Magd. jam Christi
exul. d. 11. Julii, 1631.

Nempe

E I D E M.

NEmpe opus adgrederis! si sub certamine cautus
Divisor tantæ, Tu ROSA, litis ades.
Fert *habitum* quod quisq; suum, qui cõgerit artem,
De quovis *Habitu* plurima rixa calet.
Appella, statue *objectum*, jam pondere gnõmon
Discordi attractus quisq; aliorum agitur.
Differe de primo mentis fundamine, crines
Quot capita advenient, tot tibi pugna dabit.
Tres Opponentes ita dissentire videbis,
Mirari ut quarti sensa aliena queas.
Atque hæc scis. ideoq; tibi sunt prælia curæ
Difficilem nodum solvere laudis erit.
Sed, dum concipies Respondens verba, precabor,
Ut quondam adserere & scribere plura velis.

quod
boni animi testem
esse vult

M. Johannes Rhawe Berl. M.

F I N I S.



05 A 1450

ULB Halle

3


003 777 766



V077







ΕΞΙΟΔΙΑΝΟΗΤΙΚΟΛΟΓΙΑ
HOC EST
HABITUM INTELLE-
CTUALIUM CONTEMPLATIO,

Quam
SACRO-SANCTÆ TRINUNITATIS
SUBSIDIO

&
Clarissimi Excellentissimiq; Philosophi
DN. M. JOHANNIS SCHARFI,
Logices ac Metaphysices Professoris Publici, Præce-
ptoris, Fautoris nec non Promotoris sui ætatem

honorandi
PRÆSIDIO
Lufftus,

Indultu verò Ampliſſ. Philoſophorum Facultatis,
τῆς ἐλευθερίας γυμναſίας ἐν.

In Celeberrimâ ad Albim ACADEMIA,
ad placidam ſυμφιλολογίαν publicitûs iſtituen-
dam exhibet ac proponit

CHRISTIANUS ROSA, Mitten-
waldenſis March.

A. d. XII. KL. Sextil. horis matutinis,
in ἈΚΡΟΑΘΗΡΪΩ Majori.

Cic. in Lib. I. Offic.

Omnes trahimur & ducimur ad Cognitionis & Scientiæ cupiditatem, in
qua excellere pulcrum putamus; Labi autem, errare, neſcire, de-
cepi & malum & turpe ducimur.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum CHRISTIANI THAM
ANNO M DC XXXI.